pulſus:& quia ignis,qui ſursùm, trahit tranſgreſſor in vindictam deorsùm ; & quia Deus non habet in peccatoris ſupplicium,ni quod peccator miniſtravit inſtrumentum.

S.Bened.

21 Succinit SS. Patriarcha N. illuſtriſſimus in cunctis,Benedictus. *Irritatus malis noſtris nequiſsimos ſervos perpetuam tradat ad pœnam.* Ita *Prolog. in Regul.* Ignis furoris ſpe emendationis extenditur : in fulmen tendit, ubi cordium frigiditate comprimitur : & ut Monachus in ſceleribus comprimatur, etiam dum expugnatur illecebris; monet, ne Deus irritetur malis noſtris : ſiquidem mala noſtra convertit in fulmina, ac remittit in ultionem mala noſtra. Intende in ſententiam Dei. *Si acuero ut fulgur gladium meum, his qui oderunt me, retribuam.* Non tribuam,ſed *retribuam*,ideſt, reſtituam: quid enim accepit ? Iniuriam ? Non enim facit,dum corripit.Pœnam? Expers eſt. Ultionem?In illo iuſtitià fit. Quid ergo ? Crimina ipſa fulmina facta : igitur reſtituit ut fulmina, quæ in cœlos homines commiſerunt ſcelera.

Noſtra mala nocent nobis.

Deuter. ubi ſup.

Senec.

——— *Fecimus cœlum nocens.*
Ignes auget æſtiferi Canis Titan.

Dixit Seneca in *Oedip.* Act. 1. v. 36. Cœlum utique nobis benignum, & malis noſtris irritamus cœlum : igitur ignis auget, dum mittimus ignes ; qui quidem pietate langueſcerent,ni peccatores ſtudioſè flarent.

Zachar. 1.15.

22 Illuſtre pro inſtituto ſeſe offert teſtimonium. *Ego* (ait Dominus) *iratus ſum parùm, ipſi verò adiuverunt in malum.* Alius ineſt literæ ſenſus, de quo aliàs. Deus offenſus, eſt iratus ; ſed parùm eſt iratus,licèt nimis offenſus. Quomodò qui paſſuri, precibus non declinarunt, ſed Deum vindicem ipſi in malum adiuverunt ? Gravis manus Domini,ut placeat ictus.

Senec.

Cœleſtis ira quos premit, miſeros facit:
Humana nullos.

Et adiuvamus in mala.

Cecinit qui ſupr. in *Herc. Oetæo.* Volunt ne miſeri eſſe ? Volunt, dum fovent declinabile malum. In formatione fulminis, claritas coruſcabit expoſitionis. Diximus calidam illam è tellure miſſam exhalationem, ni comprimeretur, eſſe nequire fulmen ; quoniam ex oppreſsione ab oppoſitis, in nube tantùm concipitur ignis. Ita ergo fit in peccatis. Vapor aſcendit, & Deus ne alius aſcendat, indulget: nihilominùs aſcendit alius, & denſus; quo Deus, licèt non multùm, manet iratus. Meditatur flagellum, ſed ſuave, propter ſe, & in obſequium clementiæ.Inſiſtunt tandem peccatores, comprimentes furoris ignes; qui profectò non eſſent, niſi oppoſitis comprimerent. Cauſa, eſtò levi pœnà, peracta. Imminebat è cœlo vindicta : at dum peccatores effugere debebant ſupplicium; irratum iudicem adiuverunt in malum: quippequàm ignis in nube pectoris fotus in pœnam levem, frigiditate oppoſita cordium ſubitò egreditur fulmen. Perperàm intenderet, ubi præ mititate cordis minuere tormenta cogitavit. Vividè anima apud Herm. Hugon.ubi ſupr. Deum affatur.

Quæ pœna ob clementiam levis, à nobis ſit gravis.

Herm. Hug.

Pauca tamen pro me, vel pro te (quod magis optem)
Ne tua fers etiam, ſit mala cauſa, loquar.

Sanè pro Deos etiam dum pro ſe ab ipſa defenditur clementiæ cauſa, ut pateat quàm longè à Deo uti violenta, vindicta. Dicet planè ſequens Didaſcalia.

DIDASCALIA V.

Verè & facùl Amor ignoſcit.

Sophocl.

1 CEcinit Sophocles in *Antigone.* Iurè quidem : Qui neſcierit ignoſcere,diſcat amare: igitur, ut ait Seneca in *Hercul.OEtæo.*Act. 2. v. 355. licèt incandeſcat de læſa maieſtate pectoris furor,

Perdit vires amor.

Senec. *In corde amantis facilis indulgentia criminis*

Meritò dicitur pondus : etenim non ſolùm adſtringit manus, ſed etiam pectus. Cuncta cogitatio hominis intenta erat ad malum, & iuſtitia Conditoris decrevit pro læſione maieſtatis ſupplicium : at pro humani dilectione generis, decrevit tactus intimo dolore cordis. *Delebo inquit.* Et dolet ? Et mœret? Facùl amor ignoſcit, ubi in vindicta iuſta iuſtitiæ pœnitet. *Iratus Pater*, quamvis *metuendus Dominus* dicitur à Protoparente Benedicto in *S. Regul. Prolog.* Quantumvis iratus pater, pater. Non tantùm illius (apud Manil. lib. 5. v. 318. ut ſervaret hominem,& ſagittis confoderet ſerpentem iniquitatem)

Geneſ. 6.7.

S. Bened. *Amat Deus, & dum iudicat.*

Manil.

Ars erat eſſe patrem : vicit natura periclum,
Et pariter iuvenem ſomnoque, & morte levavit.

1. Ioan. 2.1.

Verùm, ſi ne tranſeat oratio, nubem opponit crimen ; *Advocatum habemus apud Patrem.*

2 Cœterùm qua via amor facilè ignoſcit, ſi mundo tunc non pepercit, neque in noviſsimo parcet ? Vigilanter neſcio quis (quanvis carmina tribuantur Manilio, in quo nec legi niſi primum hexametrum, lib. 4. *Aſtronom.* cap. 5. v. 17.) in audaciæ terrorem expreſsit:

Quid fiet in univerſali Iudicio?

Quanta & pars ſupereſt rationem diſcere noctis?
Quæſitor ſcelerum veniet; vindexque reorum,
Qui commiſſa ſuis rimabitur argumentis:
In lucemque trabet, tacitaque licentia fraude.
Hinc etiam immitis tortor, pœnæque miniſter,
Et quiſquis verò fuerit, culpamque perodit
Proditur, atque alto qui iurgia pectore tollat.

Succinit etiam Seneca in *Oedip.* Act. 1. v. 44. inquiens:

Prævia Iudicij calamitas.
Senec.

Obſcura cœlo labitur Phœbi ſoror,
Triſtiſque mundus nubilo pallet novo,
Nullum ſerenis noctibus ſidus micat;
Sed gravis, & ater incubat terris vapor.
Obtexit arces cœlitum, ac ſummas domos
Inferna facies.
Sed omnis ætas pariter, & ſexus ruit,
Iuveneſque ſenibus iungit, & gnatis patres.
Arſiſſe ſatis eſt.

3 Procul iſti Profani : ſacer enim Olor (volupè tranſcribo, quæ reliqua *Tom.* 1. *Tautolog.* 5. *Didaſc.* 2. n. 5. deſiderabantur carmina, quia non ibi, ſed hìc opportuniora.) ita expreſsit ; ut nihil tale in Apollinis antro Sibylla, dictante Phœbo, carmine pangat. Intende, artemque, acumenque mirare.

Deſcriptio Iudicij univerſalis.

VErba Iudicij,concuſſo
Calamo, gravi terrore,
Timido procedant ore,
Corde dolore percuſſo;
Igne de cœlo decuſſo,
Dies iræ, dies illa
Solvet ſæclùm in favilla:
Polus ardorem ſubibit,
Mundi machina peribit,
Teſte David cum Sibylla.
Mare motum non ſilebit:
Sol obſcurabitur, unà
Sanguini concolor Luna;
Valde minax apparebit:
Hinc intelligi valebit
Quantus tremor eſt futurus,
Quando Iudex eſt venturus
Fronte rigidus irata,
Ab hominibus patrata
Cuncta ſtrictè diſcuſſurus.
Ut iudicium fiat ſeriò
De ſingulis creaturis,
Quæ iacent in ſepulturis,
Subditæ mortis imperio;
Angelorum miniſterio
Tuba mirum ſpargens ſonum,
Per ſepulchra regionum
Mortuos iam diù reſolutos,
In hanc auram reſtitutos,
Coget omnes ante thronum.
Halitu vireſcet ſumpto
Rursùs humana propago,
Et Dei conſurget imago
Ex cadavere conſumpto:
In corpore reaſſumpto:
Mors ſtupebit, & natura,
Cum reſurget creatura,
E ſomno ferreo excitata,
Secundùm interrogata
Iudicanti reſponſura.
Omnis caro pendens filo,
Tam peſsima, quàm proficua;
Reddetur cunctis perſpicua,
Reproducta quaſi ex nilo:
Clarus enim ſuo ſtylo
Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Cuius ſigillis apertis
Numeris conſtabit certis
Unde mundus iudicetur.
In loco ſtabit glorioſo
Crux, quando reddetur ratio;
Ut nulla ſit excuſatio
Vel leviter criminoſo:
In ſolio verò oſtentoſo
Iudex ergo cùm ſedebit,
Quicquid latet, apparebit
Eius iuſſu reſeratum:
Nihil non verificatum,
Nil inultum remanebit.

4 Ergo tunc videbunt cuncti filium hominis, in ſolio glorioſo nubis, ac iudicis maieſtatem ; præut ingeſſerit maieſtas reverentiam, vel timorem. Libri aperientur conſcientiæ, uti interpretatur Bernardus de *Converſ. ad Cleric.* cap. 2. Conſcientiæ appoſitè libri, qua ſine gloſſa affectionum, legetur clarè textus voluntatum. In mundo voluntatis liber abditur ſigillatus, vel quia obſcura cognitio, ut legantur in pectore voluntates ; vel quia, etſi cor pelluceat verbis, oculos fugiunt varietate lucis. Hìc pectoris libri aperti. Amor,amor: odium,odium; quæ diſtinctum efformabunt intuitum : quandoquidem videbitur etiam iudex diverſimodè ; quippe videbunt vel odio, vel amore. Iam acta cauſarum examinata. Qualis iudicis ſententia ? Perpetuæ felicitatis, vel damnationis. O momentum ! Non curvatur in throno virga iudicis, & urget conſcientia in ſenaculo pectoris. O momentum ! Non eſt patronus pro humana fragili, miſerabili natura, antequàm fulminetur ſententia ? Eſt quidem. Quis, vel quæ ? Dei Omnipotentis Iuſtitia. O felicitas hominis, ubi delinquentium accuſatrix Iuſtitia ſequitur partes! Hiſpan. *Què felices ſon los hombres, pues tienen de ſu parte los Fiſcales !* Audiatur igitur ſententia iuſtitiæ in huiuſmodi quæſtione, & quo fulciatur informatio iure, vel lege.

Voluntas humana in iudicio Dei nuda.

5 Haud creperum Deus ultionum, quòd

quòd vincas, cùm iudicaveris, quin ſupplantes iudicium, equidem in criminum obiectione, homo reſpondere non poterit unum pro mille. Meritò foves indignationem iuſtiſsimam, irritante malitia cordium magnanimam omninò clementiam; maximè dum ex auro gratiarum, ſumpta materia in effigiem idolorum. Cuncta verificata: ſanè, ſed non ius, quòd rationem habeas tam noſtri commiſsi, quàm tuæ naturæ. Attende, quòd te tua clementia depoſcit, & in collationem propter te tantummodò urget. Ergo ubi diſcernis, ut decernas huiuſmodi cauſas; non iuſtam indignationem, ſed nativam bonitatem in conſilium adhibeas; quandoquidem in offenſa, vel memoria nocua: at ſi nec nocet, cordis nobilitatem dedecorat: etenim ingenio tuo, peccatorum nec memoria; ut conditionis tuæ rutilet clarius ſtemma. Criminum non recorderis amplius, ne gravet excuſabile onus. *Tabeſcet anima*, ubi *memor eſt memoria*: non tabeſcat, imò exultet ſine eiuſmodi faſtidio in magnanimo pectore, terræ oblivionis tradita recordatione. Magni patet cordis inſigne, oblivionis recordari. Claruit in Cæſare, uti obſervavit Plutarchus in eius vita. Hæc ſunt Cæſaris: alia ne Iovis? Non ſit tantùm gloria Profani, memoria tenax oblivionis iniuriæ. Eiuſdem meriti eſt, ſervare de vita periclitantes, ac morte pœnæ viventes. Condona; igitur gratia eadem, diverſo modo collata; maximoperè cùm naturæ tuæ liberali congruat ex iuſtitia, erga mortales uti ingenita clementia. Furis?

Patrocinium cauſæ hominis à Iuſtitia Dei. — *Generoſi eſt animi, memoria oblivionis iniuriæ.* — Thren. 3. 20. — Plutarch. — *Extra Dei ingenium eſt hominum ſupplicium.*

En tua ſe medià clementia monſtrat in irà
Namque meo eſt omnis crimine pæna minor.
Non ſinit ingenium tantos tibi ſurgere motus,
Quantis pro merito culpa pianda foret.

Herm. Hug.

Ita Hermann. Hug. in *Suſpir. Anim.* lib. 1. *Gemit. 6.* Si miſericordia ſuper omnia; iam non clementia ſuper, dum iuſtitia deſuper. Ubi nunc laurea, & ampliſsima gloria, ſi corda corporaque mortalium conſtringit pœna? Philoſophus eſtò falsò, 8. *Phyſic.* dixit; neceſſariam fuiſſe fabricam & mundi, & cœli. Si pro homine cogitaſſet in tua libera voluntate huiuſmodi neceſsitatem; haberet profectò paradoxum ſpeciem, ut locum haberet tua benigna clementia, dum objicerentur mundi commiſſa crimina: igitur in ſtatera iudicij eò clementia tranſgreſſor extollit, quò lanx fragilitatis hominem deprimit. At quid, quòd te condonatio elevaret generosè manſuetum, dùm ipſum *miſericordia ſuperexaltat iudicium*? Quantum & quale decus ex ſymbolis, dum tantus honor oritur ex oppoſitis? *Bonorum* noſtrorum *non eges*, verùm indiges malis: indiges partà laureà clementis; nam niſi peccaſſent, quid tu concedere poſſes?

Ariſtot. — *Elevantque decreta iuſtitiæ, quæ ſunt clementiæ.* — Iacob. 2. 13. — Pſal. 15. 2.

6 *Signa* illa *in Sole, & Luna, & Stellis*, ſeveritatis ſymbolis, haud indicant cœlos inclinatos in vindictam, ſed mutatam iuſtitiam in clementiam: etenim ſplendor nutat, dum homo vapulat. Quid ſigna in Sole? *Quinque vulnera Chriſti*: Anton. Paduan. ait. *Domin. 1. Adv.* Hæc enim ſigna, licèt à rigore, non rigoris, ſed ſummæ benignitatis: igitur vulnera in corpore rupit cuſpide ferrum, ut in medicamen è venis abditis exiret ſanguinis balſamum. Caput in cruce inclinat: ergo ad veniam peccatores vocat. Excutiatur timor cordium: habet; ut excipiat brachia expanſa, pectus apertum. *Ego occidam* (ita legit Armachanus in *Quæſt. Armen.*) *& ego vivere faciam: transfigam, & ego ſanabo*: dicebat Iudex per Moyſen. Occidet, qui voluit occìdi, & non aliò ductus, niſi quia voluit? Tradet morti, quos morte vivere fecit? Perdet, quos proprio ſanguine, venenatos ſanavit? Volet affigi cruciaminum acervitate, pro quibus transfigi voluit? Odiſſe hominem, dicetur, pro quo moritur? Si moritur, ut homo non moriatur, morietur homo? Si viſcera pietatis illa mortalibus oſtendunt ignem vivum, amorem; ne mortales aſſultim ibunt in ignem? Ne amittant vitam, libentèr in lythrum amittit. Si pereunt, ſanguis peribit. Fas num cogitare vel pondere ingratitudinum, pretioſi ſanguinis evaneſcere pretium? Si ſuſtinet tormenta, quæ in improbos mittit; non removebit, quos dolores ſuſtinet? Removebit. In iudicio *Sol obſcurabitur*: in cruce *obſcuratus eſt Sol.* Quid? Cuncta quidem aptè: eadem ſigna in iudicio, ac in paſsione; quia dum cogitur corripere; cogitur iterùm mori.

Luc. 21. 25. — Paduan. — *Quæ ſigna rigoris, ſunt pietatis.* — Deuter. 32. 39. — Armach. — *Quantæ amoris divini demonſtrationes!* — Matth. 24. 29. — Luc. 23. 45.

7 *Utinam dirumperes cœlos, & deſcenderes! A facie tua montes defluerent. Aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis.* Utinam cœlos dirumperes! Quàm alienum à te ſupplicium, exprimitur; dum cœlum frangitur. In ruinam timebit cœlum, qui experitur ita pium? Utinam dirumperes cœlos! Utinam! Sed rorando, dirumperes: equidem ut ſeveritatis decretum rumpatur, cœlum dirumpitur. Regia tua ſpectatiſsima eſt cœlum. Ut prævaleſcat offenſæ vindicta, cœli còncidet regia? Cœlum cœli tibi quaſi thronus excelſus: ſines ne, quòd ita frangatur thronus? Si homines fulminibus punires, cœlos dirumperes. *Utinàm deſcenderes!* Utinàm! Et quia tui conſpectus cordium mœſtitudinem levaret, vel quia tantæ cladis pœniteret. Montes deponent nativam obſtinationem, ſi vibraveris fulmen. Plena pietatis viſcera exardeſcerent, ubi *montes à facie tua defluerent?* Obdureſcent tenera viſcera, dum liqueſiunt duriſsima ſaxa? Iam ſentiunt inſenſibilia: à facie tua docilitatem diſcunt: recrudeſces, ubi vel æra molleſcunt? *Aquæ arderent igni.* Priùs refrigerium, quàm ſupplicium; vel ut ignis amoris, frigiditatem liquefaceret pectoris. Nomen tuum ex clemencia amicis tuis uſquequaque magnum, ſed inimicis ignotum: decidat ergo vultus alienus auſteritatis, *ut notum* fiat vel *inimicis tuis*. Hilaritas fugiet à vultu benigniſsimo tuo? *Stellæ cadent de cœlo.* Cadent ſtellæ? Cadent, ſed (arbitror) compaſsione commotæ: igitur cùm in mundum graſſetur afflictio, ac præ timore, & expectatione pavens areſcat homo; amplectitur generis patrocinium toto pectore cœlum.

Iſai. 64. 1. 2. — *Cœlum ſemper hominibus beneſicum.*

Sed Benignior Deus. — Matth. 24. 29.

8 *Erunt* utique *ſigna in Sole, & Luna, & Stellis.* Signa ne iuſtitiæ, vel clementiæ? Signa erunt quaſi iuſtitiæ ſigilla, vel ſignacula, quibus pietatem tuam teſtetur ipſa iuſtitia. Signa quæ iudicij univerſalis, erunt etiam humani exterminij generis. Tui cordis pietas nativa: verùm cùm in hominem ſit eiuſmodi cauſa; ſignacula dicuntur, quæ apertiùs futura ſigna: igitur ita in tuo pectore hominum peregrinum ſupplicium, ut poſcas futuri, & ſignatum teſtimonium. Conſtruit in plectendis, huiuſmodi cogitationem tui cordis ingenita pietas; quia *continebis in ira tua miſericordias tuas.* Macte fortunà. Animo corda ne cadant. Erigamur in ſpem bonam: ſi ſunt pietates vel acerrimi dolores, quid pietates?

Luc. ubi ſupr. — *Pietatem Dei teſtatur ipſa iuſtitia.* — Pſal. 76. 10.

9 Arcum poſuiſti poſt diluvium inter cœlum, & terram in ſignum fœderis, ac clementiæ: & te Ioannes vidit, iride coronari. Indicat iris, ſedes tua ex tunc, in varietate colorum, pulchritudinem variarum tuarum renidentium pietatum. Haud minoris gloriæ æſtimatur clementia; ſi ex iride pietatis fabricatur corona. Corona eſt iris, qui ſemicirculus versùs cœlum, promittit ſerenitatem, ne aquæ tribulationum abſorbeant naufragum hominem. Arcus eſt, quem cogitavit amor; ſed deficiebant doloris ſagittæ, queis rumperent in cœlo pectus elevatæ clementiæ: at cùm viribus proprijs, etiam ſagittis haud penetrarent cœlum; ut potirentur voto, cœlum ipſum clementer exhibuit arcum. Si versùs terram iridis tenderetur ſemicirculus; quateretur iure formidine pectus, ob patratum audaciſsimè peccatum; etenim verum, *Arcum ſuum tetendit, & parabit illum*: timor, & tremor non ſine ratione; quippe ſagittæ potentis accutæ. Verùm cùm versùs cœlum erigatur huiuſmodi ſemicirculus; longè ab hominibus, *ut fugiant à facie arcus.* Profectò in iniquos fulminat, cæterùm non quoties tonat.

Geneſ. 9. 13. — Apoc. 4. 3. — *Deum coronat clementia.* — *Et exhibet arma, ut expugnetur cœli miſericordia.* — Pſ. 7. 13. — Pſal. 59. 6.

10 Quondàm enim, Princeps pacis, dum ex *ore tuo gladius utraque parte acutus exibat*, *præcinctus eras ad mamillas zonà aurea.* Poteſtas in gladio tibi eſt, & tibi Domine miſericordia: ſiquidem cùm pectus ſit theſaurus pietatum; ut nanciſcantur homines, zonà aureà deſignas locum. Iudex cum gladio in viſione pates, & clemens etiam dum iudex. Cauſa criminum provocat vel amorem in vindictam: & thronus pietatis, pectus, pro ſigno habet zonam auream: quoniam incendis, ut egrediantur pietates, quòd pectus iaculentur arcum habentes. Oſtendere pectus ſagittanti peccatori, provenire quibit ab ira, vel à charitate? Etiam gladius ab ore procedens, eſt ſine umbone. Leviter ſe defendit, qui ità gladium ſtringit. In ore gladius, vel manu?

Apoc. 1. 13. 16. — *Signat quò ingrediantur homines in intima pectoris.*

Cur mihi perpetuo contrà adverſare duello,
Ceu gladiator ego, tuque laniſta forem?
Dextra ſuum fulmen, quamvis vibrata remiſit,
Tenſaque pro gladio lenis oliva fuit.

Herm. Hug. ubi ſup.

In ore reſidet gladius, quia verbo eius interficietur impius. Ex manu ad os tranſtulit inſtrumenta vindictæ. Inſtat pietas, at parit gratiam veniæ: quandoquidem vel in oris ſententia, dum ſignat pectus: non habet umbonem, quo protegatur vel iuſtitiæ gladius. In mundo gladius aciei ſimplicis ſignum rutilat ſupremæ poteſtatis (Vide Pier. Valer. lib. 42. cap. 61. & 68. & Orozc. lib. 3. *Embl.* 30.) in cœlo duplici acie conſtat; ne qui exerit, percutiatur, cùm apprehendat. Dupliciter acutus erat gladius: ita perſiſteret cote criminum acutus; ſed aciem proſcindentis ſeveritatis hebetavit in obſequium acies amoris. Hinc in manu, gladij loco, ſeptem ſtellæ. Signa fulſerunt inſignioris iudicij: igitur ſumma gloria, ac ſplendor reſidentis in throno, quòd condonetur iniuria, non quòd condemnetur noxa. Nobile nonnunquàm pectus cordis clementis, ſed regium planè ſuccurrere lapſis.

Gladius emblema ſupremæ poteſtatis. — Pier. Val. — *Dei gloria, quòd condonetur iniuria.*

11 Apud te, creator omnium, eſt fons vitæ. In lumine tuo non videbimus lumen? Sentit amicorum vulnera quiſquis amat. Poteſtas Principi data eſt ad ſalutem, non ſine dedecore ad populorum cruciamen: & non minus clementia Principem ornat, præſertim ſi ad ipſius iniuriam privatim attineat. Egreſſi ſunt in aqua è pectore tuo multi populi, uti indigni habitationis; ſed ut re-

Pſalm. 35. 10. — *Quærit Chriſti ſanguis fugientes.* — Ioan. 19. 34.

ver-

verterentur, quærens illos, exivit & ſanguis. Fractum eſt cor hominum, tamquam vas figuli: evacuant obiectionem cum ipſa fragilitate. Amiſſa eſt forma, non materia; coaptet, conformet, & ſolidet gratia. *Converſus facies vas alterum*, ſi deformatum figmentum; maximè dum cognoſcis debiliſsimum, quod materia hominum. *Sudor* tuus in horto *ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Profectò ipſa agonia eſt curarum levamen. Non ſat, quòd homines ſint terra in excuſationem? *Adverſus* homines *erat chirographum*, atramento ſcriptum deformium criminum. Refugiet pectus thronus clementiæ, ubi omnes literas dealbaverunt in ſanguine? Non eſt apud te *liber* mortis, ſed *vitæ* verè vitalis. Delebuntur ne de libro viventium, ut cum iuſtis non ſcribantur? Fulmen emblema eſt in mundo pietatis Principum. Adeundi Pier. Valer. lib. 43. cap. 31. & Villav. in *Symbol. Spirit.* 32. Quid? Excitabitur in cœlo, quod quieſcit in mundo? Fulmen potiùs teſtatur munera crebræ pietatis, quæ arcet fulmina, ne mittat indignatio furoris. *Mittes fulgura, & ibunt*, ſed ſine fumo ruinæ *reverentia, dicent tibi: Adſumus.* Haud revertuntur, niſi in ſtragem mittantur. Tormenta prometentur crimina; ſed pietas ligat tormenta. Si *deliciæ tuæ homines*, ubi deliciæ? *Opera manuum tuarum ne deſpicias*: quamvis aberraverunt propter beſtiam agri, oves tamen paſcuæ tuæ. Quanvis in opere evanuit ſignati lumen tui placidiſsimi vultus, evanuit opus? Deleta penitus ſimilitudo, verùm permanet imago: quia imagines devenuſtarunt offenſæ, non erunt tuæ? Dum ſubſcripſit Imperator homo ſententiam capitis in hominem, crimine depoſcente, lege virgine, tremulo corde, perculſo pectore, ploravit. Si ille ploravit, tu decernes ſeverè? Ploravit, ſed ſubſcripſit dicens: *Neceſſe eſt, condolere naturæ, & legibus ſuffragari.* Ita Eraſm. in *Apophthegm.* lib. 6. Senec. lib. 2. de *Clement.* cap. 1. & Sueton. Tranq. in *Neron.* cap. 10. Nunquid ſicut dies hominis dies tui? Nihil agere iure quit humanus Imperator extra legem: tu ultra legem, & ſemper iuxta, quia tua voluntas potentia. Certavit ibi lex, certavit pietas; qualite & anceps voluntas: cæterùm lex validè vicit pietatem. In te Domine univerſorum, crimina non habent diſpenſationem?

Non ſatis eſt, culpam faſſas tibi tēdere palmas,
Criminibuſque iram promeruiſſe tuam?
Ecce manus ultrò ſupplex tibi porrigo vinctas:
Culpa tamen nullo digna patrocinio!

Ierem. 18. 4. *Et excuſat.* Luc. 22. 44. Coloſ. 2. 14. Apoc. 20. 12. *Fulmen emblema clementiæ.* Pier. Val. Iob. 38. 35. Prov. 8. 31. Pſ. 137. 8. *Quàm propria Principis clementia!* Eraſm. Hug. ubi ſup.

Quid tibi vis faciam? Vis trudā pectus in enſes?
Hoſtia criminibus ſubſtituenda meis.

Quanvis non dederis, tamen permitte rogari. Silent labia: at fœcunda gementi materia eſt, dixiſſe nihil: nimiumque ſonora cauſa petit, quod lingua tacet. Tacent labia, verùm corda vociferantur pro venia. Si incendunt pectus ſcintillæ dulciſsimi amoris, deerit tibi flamma pietatis? Nemini magis congruit, quàm tibi: ſtudeas ergo criminum indulgentiæ: ſiquidem

Quo quis eſt maior, magis eſt placabilis iræ;
Et faciles motus mens generoſa capit.

Dixi. Veritas delictorum de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit. Quid fiet? Miſericordia & veritas obviabunt ſibi? Videbimus Didaſc. ſequenti.

Petitur Dei. Ovid.

DIDASCALIA VI.

Nihil faciliùs, quàm Amor recrudeſcit.

1 TEſtatur Seneca *Epiſt. 69.* Delicatulus eſt. Levi vento friget, frequentia alget, & pectoris flamma frigiditate riget.

Magnus dolor, iratus amor eſt.

Ait idem in *Hercul. Oetæo.* Act. 2. v. 451. igitur locus, quem in præcordijs occupavit flamma, replet furore iracundia. Sagittas amor emittit blandè, recipit dirè; ſemperque moleſta infixa cordi ſagitta: ægrè utique tolerat, quouſque in iactorem vehementiori impulſu ſtomachatus excutiat. Et petitus libenter obſequitur: attamen ſi irritatur,

—Quatit aſtriferos flammatus Iupiter orbes,
Et iacit accensā tela triſulca manu.

Dicit aptè Hermann. Hug. lib. 1. *Deſider. Anim. Gemit.* 12. Si abdicitur indulgentia; perperàm tuta nec mare, nec tellus, nec luſtra, nec antra, nec aſtra. *Delebo inquit hominem.* Et dolore tactus? Delebo ſanè quanvis tactus dolore. Ultrò induſi, nec reſipuit pietate. Rebellis perſiſtit? perſiſtam: minimè parcam. Ita amor excandet? Nihil faciliùs, quàm ille in pectore recrudeſcit. Quàm opportunè SS. Benedictus in *Prolog. S. Regul.* dicit de diſtricto iudice: *Iratus pater metuendus dominus*: igitur non ita metuendus dominus, quàm pater iratus. *Habemus* næ *apud Patrem patronum*: verùm non eſt etiam apud Patrem acceptio perſonarum.

Seneca. Idem. *Magnus dolor iratus amor.* Herm. Hug. Geneſ. 6. 7. *Iurè metuendus pater iratus.* S. Bened. 1 Ioan. 2. 1.

2. Videamus ergo quid reſpondet cauſidicus contrarius in huiuſmodi cauſa, ut ritè & rectè à iudice proferatur ſententia. Quis

Quis igitur cauſam agit? Divina clementia. O inexcogitabilis mortalium fortuna! Clementia? Quæ fama modò venit ad aures? Clementia? Paſſa eſt ſimiles ipſa dolores? Clementia? Clementia: extorquetur in lite ab accuſatore palma.

Iam vaga cœlo ſidera fulgens
Aurora fugat. Surgit Titan
Radiante coma, mundoque diem
Reddit clarum.
Iam nocte pulſa, effulſit dies,
Et nube mœſtum ſquallidà exoritur iubar,
Lumenque flammà triſte luctiferà gerens,
Stragemque, quàm nox fecit oſtendet dies.

Ex Senec. in *Octavia*, Act. 1. v. 1. & in *Oedip.* Act. 1. v. 1. Clementia in cauſa hominum, & pro cauſa? Quid clementia, ſi pro venia peroravit iuſtitia? Proh miſeri homines! Adverſarios igitur habetis auſpices. Haud ſpectabitis clementiam Minervam, ſed Bellonam. Libri qui apperti, ſigillentur illicò: igitur eiſdem textibus quibus ius hominum protulit divina iuſtitia, contrarium aſtruet deſpecta miſericordia; ut ſciant, eſtò ſerò, haud purgatis obiectis, eſſe examinatam cauſam, ubi iudicem laceſsit advocatus hominum in vindictam. Audite pro vobis, & in vos allegationes legum, ut tinniant præ dolore tympana aurium.

Senec. *Mala cauſa adverſatrice clementia.*

3 Haud anceps (Miſericors, clemens, patiens, multæ miſerationis, ac verax Domine) hominum cogitatio de tua nativa benignitate; etenim ex conniventia, inolebit in ſummum cordium audacia. Iudex cenſeretur profectò in cauſis crudelis, immemor omninò hominum fragilitatis; quandoquidem ex iure, & in iure raro fas, quod ſummum ius: cæterùm ſi ex indulgentia criminum fovetur ignis obdurationis cordium, & quia pietas pepercit, ſcelus malitia ſtudioſè geminavit; ſi quia comediſti populorum peccata, uſque ad nauſeam ſtomachum irritarunt ſcelera; ſi quia parcis, rogant pro criminum pœnis, & crimina proſequuntur, quia miſericors parcis; ſi ex propenſione compaſsionis in fragilitatem humani generis, fit tritior via iniquitatis; ſi quia reſpicis hominem, maximè flentem, & non flentis tranſgreſsionem, deſpicitur Conditoris maieſtas, & auctoramen; ſi ex quibus formido, dum oſtenduntur indignationis ſigna, creſcit audacia, & minimè timent fulmen eiaculatum, etiam audientes tonitruum; ſi ita procaciter delinquens perſiſtit animus; in te iuſtitia, & ego idem profectò ſumus: ſi iuſtitia, ut ignoſcas hominibus, convertitur in clementiam; ut diſperdas & diſsipes, convertar ego in iuſtitiam.

Oratio clementiæ Dei pro hominum inexcuſabili pœna.

Sat tua nota quidem gemino clementia mūdo,
Blādaque, & in pœnas eſt tibi lenta manus.
Nec ſibi decretam velit ullus demere mulctam,
Arbiter ut proprij criminis ipſe foret.
Nā quanvis miſeris bonus es, veniæq̄ paratus,
Attamen in ſontes, iurè ſeverus agas.

Ita Herm. Hug. ubi ſupr. *Gemit.* 10. Sis igitur memor officioſæ quondam oblivionis; ut prævaleat memoria, quòd indulſeris peccatis, & quotiès indulſeris. *Memor* ſit *memoria*, ut luant ſcelera; quanvis *tabeſcat anima.* Attende, quòd te tua clementia depoſcit, ac in furorem urget. Sumat pœnas deſpectæ maieſtatis auctoritas. Ergo ubi diſcernis ut decernas huiuſmodi cauſas, pro iuſta indignatione ipſam clementiam in conſilium adhibeas: igitur eiuſdem meriti eſt, & ſervare inſontes, & corripere nocentes. Hæc ſunt vel profani Cæſaris: alia ne Iovis?

Herm. Hug. Thren. 3. 20. *Gloria iudicis, ſervare inſontes, & punire nocentes.*

4 Quod moritur ſpontè, moriatur. Qui expectavit vulnera, vulneretur. Qui bella volunt, cadant, & qui non quieſcunt, non quieſcant. Si pietas tua ſuper omnia; iam non ſuper, dum deſpicitur, ac deprimitur clementia: conceperunt deſpectum, ubi foverunt abuſum. Nolentes amplecti perviam miſericordiam, tuam profectò iuſtificaverunt cauſam: unde dum vibras in tormentis flagellum, *miſericordia ſuperexaltat iudicium.* Iuſtificatio cauſæ, bona cauſa. Surge Deus, & iudica cauſam tuam: tunc magis rutilabit gloria clementis, dum decus tantum oritur ex oppoſitis. Superexaltat ſanè miſericordia iudicium, ubi patet obduratio cordium: igitur iuſtitia eſt, quòd corripiat clementia, quicquid corrigere non valuit miſericordia. Si iuſtitiæ exaltatio eſt, cum fragilibus uti benignitate; ita benignitatis, cum rebellibus uti toto rigore iuſtitiæ. Si neceſſaria fuiſſet cœli, mundique fabrica, locum etiam haberet in huiuſmodi ficta neceſsitate iuſtitia. E cœlo procedunt & ſubſidia in afflictos, & cruciamina in reprobos: præparat enim ſtudio pietatis, afflictis corde levamen, verùm obſtinatis fulmen. Quis ambiget, te *non egere bonis noſtris*? Cæterùm indiget iuſtitia malis. Declinaverunt in te mala, ubi impij cogitaverunt conſilia: quandoquidem ſine reatu pervicacis criminis, & niſi peccaſſent; quid tu corripere poſſes?

Iacob. 2. 13. *Iuſtificatur rigoris cauſa, ubi deſpecta clementia.* Pſ. 15. 2.

5 *Signa* illa in *Sole* exprimunt utique vulnera Chriſti: verùm non iam quaſi apothecam clementiæ, ſed tanquàm theſaurum iræ. Sanguine proprio iniquitatem in hominibus delebit, & modò in illos ſententiam ſanguine ſcribit: igitur ut ingrederentur ſupplices pro venia criminis, non invene-

Luc. 21. 25. *Quæ ſigna pietatis, ſunt rigoris.*

runt unam è quinque portis, vel ubi invitabat ad ſalutem piſcina, quinque porticus habens. Caput inclinavit in cruce, & deſignans introitum patulo pectore: verùm ſi ut recipiat probum, habet expanſa brachia; ut puniat improbum, etiam habet erecta. Vernaculè: *Tiene el brazo levantado.* Plangent ſuper eum & iurè, omnes tribus terræ. Felicitas earum paſsio eius; & tunc plorabunt, quia paſſus: ſiquidem ubi pro perduellionibus tantus labor caſſus, & vel ſanguis pretioſiſſimus; ſanguis eius qui pro eis, effundetur ſuper eos.

Chriſti ſanguis cauſam aggravat peccatoris.

Deuter. 32. 39.

6 *Ego occidar, ego occidam: transfigar, transfigam*: olim pro tormento crucis myſteriosè dicebas. Hiſpanice, vividè: *Matarè, Morirè.* Haud contrarium, quod oppoſitum: etenim nimis aggravat cauſam, quòd pro ingratis in mortem dederit vitam. Ni cognoviſſet toroſæ cervicis iubas, haud diceret: *Non compungar.* Sciebat enim demonſtrationem pectoris, onus futurum gravitati cordis. Unde quæ deſiderabatur, non deſiderabatur crucis compunctio; ne plus in lite obijceretur ingrato: ſed modò occiſione occides, transfixione transfiges, & percuſsione percuties; quoniam ipſa clementia; qua pro eis vitam dediſti, tradet ingratiſsimos morti, eò quòd noluerint potiri in ſalutem exhibito medicamine. Si invocaverint viſcera plena pietatibus, haud invenient pietatem in viſceribus: igitur fugerunt pectus benignitatis, quin retinere vellent pietatem pectoris. Si homo deſpicit amorem; amor hominem non deſpiciet deſpicientem? Si ignis charitatis cordis invitat, & obliviſcuntur charitatem; protervos è corde amor læſus non eijciet in ignem? In ignem mittet, & ardent. Iurè in perpetuum cruciamen, quippe ne ſubvenirentur, crucifixerunt amorem. Occidet pro quibus occiſus, quoniam à deſiderio defraudatus. Non meritò mancipabit morti, qui noluerunt vivere? Quos libertate donavit, reberſos ultrò in ſervitutem, è carceribus educet? Retrahet ne reluctantes in Solem; ſi dilexerunt magis tenebras, quam lucem? Salvabit qui noluerunt ſalvari, & voluerunt etiam obvia ſalute perire? *Sol obſcurabitur* in iudicio: *Obſcuratus eſt Sol* etiam, cùm iudex pateretur in Calvario. Cuncta porrò conſona: nullo etenim magis comprobabuntur in iudicio litis hominum acta; quàm pro illis in cruce tantà patientià.

Pſal. 29 13.

Ex quo ira in amore divino?

Matth. 24. 29. Luc. 23. 45.

Iſai. 64. & 2.

7 *Utinàm dirumperes cœlos, & deſcenderes! A facie tua montes defluerent. Aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis.* Rumpatur cœlum & crimine viſo, & etiam viſo indignationis decreto: igitur pœna levis, & culpa enormiter gravis. Rumpatur cœlum, tantà noxà deturpatum: quippequàm nihil æquè reſpondet crimini, & additis pœnis pœnæ. Scelera ruptione patefacit, quæ miſeratione occùluit; ut iuſtitiæ præſtet exitum, quod præcluſit introitum. Rumpatur cœlum accenſo igne furoris, vento laceſsitæ pietatis. Modò fiat ſatis iuſtitiæ, quid quòd ardeat regia cœli?

Summum malum, dum homines averſatur cœlum.

Manil.

Quid, quaſi non timeăt, magni cū vulnera cœli
Conſpiciant, feriatque oculos iniuria mundi?

Ita vel Ethnicus lib. 1. *Aſtronom.* cap. 10. v. 86. Dum devenuſtavit cœlum hominis crimen, ſparget novum laxato pectore lumen? Utinàm dirumperes cœlos, & ignis deſcenderet in impios! Siquidem ſi lachrymantur rore, in huiuſmodi humani generis clade; non pro ruinam, ſed in ruinam, vociferantur lachrymis querimoniam. Utinàm dirumperet cœlos, & deſcenderet, ut fugerent qui oderunt eum à facie eius! Quis poterit cogitare diem adventus eius? Et quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & fornax æſtuans. Quid corda facerent, ubi à facie tua montes defluerent? Si inſenſibile ſentiet; quid non, ſenſibile? Sentiant, quippe duriora corda, dum liquefiebant ſaxa. Aquæ ardebunt igni. Si ita refrigerium, quid ſupplicium? Tranſibunt per ignem & aquam; at non in refrigerium, ſed in pœnam. Quomodò refrigerium, ſi ad ſummum calorem tranſibunt ab aquis nivium? Fiat igitur notum nomen tuum per cruciamen, quod non nactum per amorem. Faciat iuſtitiæ maieſtas, quod non valuit cordis charitas; & ubi tormenta pro peccatis pertulerint, agnoſcant nomen & numen venerandum, vellint nolint. *Stellæ cadent de cœlo*, minimè ut ſubveniant mundo. Cadent, vel avellentur indignatione commotæ, aut à pietatis iracundia fulminatæ: equidem cùm mundus illo vapulet articulo: ut areſcat timore, & expectatione infelix, non miſerabilis homo, ac detrudatur in barathrum; pœnam intendit toto pectore cœlum.

Et deficit à clementia patrocinium.

Matth. 24. 29.

8 Signacula itaque erunt excitandi ſoporati furoris, quæ *ſignā in Sole, & Luna, & Stellis.* Ideo iuramento aſſeverat, dicens: *Amen dico vobis*, quando eiuſmodi ſigna præſignat: & ne ſupplicium iudicetur fictum, ab aſtris petit teſtimonium, & ſententiæ ſignaculum: igitur flammarum diluvio plectendi, qui noluerunt aquis purificari. Unde ius eſt, quòd qui correcti non fuerunt aquis iuſtitiæ, adurantur in perpetuum igne clementiæ; excitante è pectore implacabili flammas, quæ devoravit & offenſas, & iras. In Sole, Luna, & Stellis erunt ſigna faſtiditæ pietatis. Clariora ne ſigna furoris, ubi videntur iræ, benignæ & benevolæ influentiæ? Dum ita pium exardeſcit cœlum, ut deſiruat mundum? Nulli favebunt ſiccis oculis aſtra, eſtò lachrymentur mœſtiſsima corda. Quid in cœlo ſolatij? Profectò nullum: ſiquidem obſtinatis, & cœlum ferreum. Quid tu Domine iudex, ſi ita miniſtri? *Continebis in ira tua*, dum egeris hominum cauſas; quæ cauſas aggravant, *miſericordias tuas.* Signa cuncta ſunt iuſtitiæ; ſed quæ cogitavit inexcogitabilis pietas, commota meritò in flammas. Ipſa deſpecta conſtruet iudicis ſeveritatem, ut cruciatibus vindicet perfractam legem. Væ miſeris. Si graviores ſunt doloribus ipſæ pietates, quid acerrimi dolores?

Luc. 21. 15. v. 32.

Iram Dei teſtatur ipſa clementia.

Pſal. 76 10.

9 Nunquàm non clementia fuit iris pacis inter cœlum, & terram, ut reprimeret provocatam noxis iuſtitiam. Si in huiuſmodi ſymbolo hæret hominum tranſgreſſorum fiducia; ſpes erit omninò, pro iuvamine vacua. Iris ſemicirculus eſt. Iuſtitia, & miſericordia aſſociatæ conſtruunt, & aſtruunt huiuſmodi ſphæram, cuius Deus ubique centrum, & circunferentia nuſquàm. Circulus totus patebit: & modò tantum claret oculis iris: quippe ſi modò videtur ſemicirculus clementiæ, videbitur poſtea latens hemicyclus iuſtitiæ. Nunc videtur dimidium circuli in iride, & verſus cœlum: videbitur pòſt etiam dimidium occultum, & verſùs mundum; & arcu quo cœlum dirigit ſagittas in corda, quia noluerunt dirigere in cœlum corda ſagittas. Necdum ſagittas excuſsit, ſed arcum *ſuum tetendit, & præparavit.* Iris eſt arcus: tela in vindictam cogitat pietatis pectus; igitur manus clementiæ arma ſubminiſtravit excandeſcenti iuſtitiæ. Ex iride modò iudici fabricatur corona: pòſt vindex ſumet in arma: etenim convertet arcum in mundum, ut illum inflammet igneis ſagittis pietatum. Ni arcus eſſet pro tempòre convertendus, haud metuentibus ſe Deus daret ſignificationem, *ut fugiant à facie arcus.* A facie arcus iridis in quo ſignatur clementia? A facie clementiæ fuga: ſiquidem propulſabit in homines iaculum fulminis, ab arcu pietatis amantiſsimi pectoris. Hinc arcus iridis quadraginta annis ante Ecpyroſim non apparebit, quia Deus in iniquos ſine tonitruo iacula fulminabit. *Hiſt. Schol.* cap. 35. in *Geneſ.* Si minimè contremiſcunt, quoties tonat; timeant, dum fulminat.

Et in vindictam, iuſtitiæ præparat arma.

Pſ. 7. 13

Pſ. 59. 6

Iris quando non apparebit?

Petr. Comeſt.

10 Perinde dum gladio utraque parte acuto præparatur vindicta, iudex præcingitur *ad mamillas zonà aureà.* Locus erat thronus uſitatæ pietatis: unde cùm noluerint invenire, nec pulſare ianuam pectoris; idem fuit zonà præcingere, ac oſtium claudere. Faſtidijt homines clementia, & clementiæ clauſa eſt ianua. Haud ſpes veniæ; ubi clauditur impetè. Quia ut revocarentur, clamabat; *de ore eius gladius utraque parte acutus exibat.* Alia ad pietatem pertinet acies: ad auſteritatem alia pertinet iudicis: & ubi pro iudicio proponitur gladius, utraque parte renidet acutus; quippe ſi in mundo ſolummodò feriunt rigores, in iudicio Dei etiam vulnerant pietates. Iurè exeritur in throno huiuſmodi artificio machæra, quoniam protervos etiam percutit miſericordia. Pro maieſtate regia præfefertur coram Principe gladius acici ſimplicis ſplendeſcentis, & minimè duplicis; quippequàm vel dum iuſtitia ſecat, cum pietate ſontes obtruncat: at de ore eius gladius utraque parte acutus exibat; quia ipſa pietas percuſſa percutiet, ac obſtinatos proſcindet. Ideo gladius ſine umbone, quippe apprehendi non potuit ſine vulnere. Miſericordia percutiet, & percutietur; ictu unico impios ſecabit, & ipſa ſecabitur: occidet, & occidet, proſcindetur, & proſcindet: quandoquidem cùm defecerint peccatores in ira, ſine dubio etiam deficiet miſericordia. Si ita gladius in ore miſericordis, quin in manu potentis?

Apoc. 1. 13.

Clauditur clementiæ ianua à clementia.

V. 16.

Miſericordia peccatores occidet, & ipſa occidet.

Herm. Hug.

Si trepidant igitur tanto cenſore columnæ,
Quo ſtabunt tabulæ, ligna caduca pede?
Sique tremunt pavidæ, nutante cacumine, cedri,
Qua ſpe parva ſuam ſilva tenebit humum?

Spes omnis gladio acuto præſcindetur veniæ, acie pertingente uſque ad diviſionem animæ. Ad manum ubi ſtellæ, transferetur gladius; ut rutilet clementia, atque clementià nobile pectus: igitur ſpectabile ſtemma, & quòd gementibus condonetur culpa, & quod rebellium condemnetur noxa.

Dei gloria, quòd condemnetur culpa.

11 Nonne bili obſequetur, quòd velint mori, cùm apud te ſit fons vitæ? Poteſtas Principi ad ſalutem eſt data, & etiam ut reddat unicuique ſecundùm opera ſua. Hinc dum obduratur animus, obliviſceris miſereri Deus. *Exivit* è pectore tuo *ſanguis, & aqua.* O quanta miſericordia! Populi multi iſthi ſicut in arca corvus, egrediebantur, & non revertebantur. Patiantur ergò foràs dira cruciamina, quos non potuit revocare clementia, maximè tua. Vas ergo figuli converſum eſt in vaſa teſtea voluntaria obduratione, & nequit *ultrà inſtaurari.* Quomodò pietas etiam in cordibus gratiæ nanciſcetur impreſsionem, ſi exuerunt pœnitùs omnem hu-

Ioann. 19. 34.

Fragilitas punitur, ubi in malitiam convertitur.

Ierem. 19. 11.

Luc. 22. 44.

humanitatem? In terra: ut ſolidaretur ſine excuſatione, tuus pretioſus decurrit ſanguis; verùm finis evanuit redemptionis. Habebunt ne excuſationem ad pœnas, caſſo ſanguine, quo mollescit & adamas? Habebunt excuſationem, ubi ut eſſent dociles, effudiſti è toto corpore ſanguinem? In terra decurrit ſicut ſanguis Abel, ut ſurgeret rationalis è pulvere terra: ſed omnia fruſtrà: etenim prævaricatores converſi non ſunt ad cor, & habentes ſanguinis aſperſionem meliùs loquentis, quam Abel. Meliùs, quia implorabat clementiam, cùm illius vindictam. Meliùs, quia tacebat, loquebatur: verùm modò, quoniam tacebat, ſicut parturiens loquetur. Nonne præ amoris pignore, & fidei pectoris demonſtratione, quæ non rapuit ſanguine exolvit? Utique. Qua lege, meritò uti degener à clementia, cenſebitur tædium; ſi ſubſcripſerunt aliud, vel illo delente quod *adverſus* homines *erat chirographum*? Profectò apud illum non liber mortis. Habet enim notitiam rebellium, ſed non ex corde ſuo humiliavit, & abiecit filios hominum. Præſcivit morituros in impœnitentia finali, & delevit extra propoſitum de libro vitæ. Videndi Expoſitores in *Toren.* 3. 33. Fernand. *Viſion.* 24. ſenſ. poſter. *Sect.* 3. n. 6. & ex Scholaſticis Suarez in 3. p. *D. Thom.* diſput. 57. ſect. 9. Fulmen in toro quieſcens, index ſanè tuæ pietatis. Iam ergo ſcintillat, quod dormierat; quin homines tenuant fulminantem iudicem, quandoquidem cum fulmine iuſtitiam excitaverunt dormientem. *Mittes fulgura & ibunt*, ac ſtrage factà, *revertentia dicent tibi: Adſumus.* Aderunt profectò; ut cognoſcat homo, quòd in ſupplicijs tibi non aberat poteſtas, ſed voluntas. Modò *neceſſe eſt condolere naturæ, & legibus ſuffragari*; igitur non veniſti ſolvere legem, ſed adimplere.

Sanguis Chriſti, quia tacebat, meliùs in reprobos loquitur.

Coloſ. 2. 14.

Fulmen iræ excitatur à ſomno ictu clementiæ.

Iob. 38. 35.

Herm. Hug.

Non ſatis eſt, culpam faſſas tibi tēdere manus:
Culpa tamen nullo digna patrocinio.
Nec prece, nec pretio, nec fraude, nec arte, nec aſtu
Proſtitit hoc unquàm vendita cauſa foro.
Qui, ſemel ut ſæva ſententia lata tabella,
Nec prece, nec lachrymis triſte retractat opus.

Quid tibi vis, faciam? Ut trudant pectus in enſes: haud hoſtia ſubſtituenda pro pœna criminis. Plenum patet faſtidium, ut deſpicias *opera manuum tuarum.* Inveniuntur enim hœdi cum ſigno beſtiæ, qui fuerunt redempti, tanquàm oves paſcuæ tuæ. Quomodò cognoſces imaginem, non habentem nec ſimilitudinis indicem? Planè perit, cùm vel Auctor non agnoſcit. Ergo ſubiaceant pœnæ, qui noluerunt in gloriam eſſe deliciæ. Qui patiens Dominus, zelator, & ultor: ulciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis: igitur (ut cecinit Sibylla Erythræa lib. 2. *Oracul.* & refert Auguſtinus lib. 18. de *Civ. Dei* cap. 23.

Pſalm. 137. 8.

Prov. 8. 31.

Sibyl. Eryth.

Tunc ardens fluvius cœlo manabit ab alto
Igneus, atque loco conſumet funditus omnes.
Aſtra cadent, etenim de cœlo cuncta revulſa.

Erit congrua miſeratio, ubi abeſt cordis compunctio? Erit offenſi patientia benigna, dum non depoſcitur venia? Cadant, unde non ſurgant; ac in perpetuum ardeant: etenim dum tua cingunt latera, & clementia, & iuſtitia: æqualis profectò maieſtatis honor,

Quàm propria Principis iuſtitia!

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Virgil.

Dixi. Quid ergo fiet, & auditis cauſidicis, legibus allegatis, in cauſis hominum? O momentum! Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: *Venite benedicti Patris mei.* O latens in mundo perſecutionibus gloria! Et his qui à ſiniſtris erunt: *Diſcedite à me maledicti.* O mundi infauſta fortuna! Prævaluit furor, quippe excanduit iurè recrudeſcens amor.

Matth. 25. 34. 41.

DIDASCALIA VII.

Deus dum noſtram pœnitentiam ſuſcipit, quod erravimus abſcondit.

1 ITa N. Magn. Gregorius Homil. 29. in *Evang.* Amore laborat, & quærit in hominibus unde diligat. In tueri cupit, & benevolè, quod diligit: crimen quaſi nebula oculos Conditoris avertit: & ut videat hominem ſui perfectam imaginem, abſcondit crimen. *Longè fecit à nobis iniquitates noſtras.* Noſtræ iniquitates, & longè à nobis? Miraculum ſuæ coruſcat charitatis. Coniunctas nobis longe fecit à noſtris cogitationibus; ne nos dum corripit, perdat ſimul cum iniquitatibus: igitur eius iuſtitia intendit proſternere hominum iniquitates, nequaquàm homines. Verùm hoc aliàs. Propoſito acumen. Iniquitates noſtræ ſunt; & à nobis, quæ nobis coniunctæ, fecit longè; quia dum virtus accedit pœnitentiæ, & noſtræ ſunt, & non noſtræ: etenim dum noſtram pœnitentiam ſuſcipit, quod erravimus abſcondit. Vel Profanus aſtipulatur, & neſciens quò, aptiùs extollit:

Gregor. Magn.

Pſ. 102. 12.

Iuſtitia Dei intendit in iniquitatem, non in hominem.

Quomodò iniquitates noſtræ, non noſtræ?

——Cedo callidum conſilium citò.
Quæ hic ſunt viſa, ut viſa ne ſint: facta infecta uti fient.

Plaut.

Ita Plautus in *Milit.* Act. 2. Scen. 2. v. 71. Sicut condidit, Deus homines aſpicere ſitit: iniquitas lumina clariora, & lucidiora offendit: unde ut iniquos videat pœnitentes, & non iniquitates; iniquitates ipſas, & noſtras longe fecit à nobis: & ita longè, averſa voluntate, agitata pœnitudine; ut ſi abſconderit errata, quæ hic viſa non viſa, & facta prorsùs infecta.

Per pœnitentiam quæ crimina viſa, inviſa.

2 Quieſcentem excitavit indignationis divinæ flammam, quòd omnis caro corruperat viam ſuam. Excanduit, ac *Delebo inquit, hominem.* Si ita Deus commota bile; cur non modò, ſed exterminium in futuro tempore; quod ſic vel in ſententia diuturnum, ut dies mundi ſint centum viginti annorum? Deleat modò, ſi modò offenſus. Deleat ſaxò, ſed *Delebo*? Utique. In ſententia conſilium adhuc conditionatum, ut obſtaret decreto compunctio cordium. Iuſtitia Dei non eximit gladium indignationis in homines, ſed tantùm in iniquitates. Unde ſi in coniugio invenerit, delet non iniquitatem, ſed hominem: ſi in divortio, non hominem, ſed ſolummodò crimen: quòd cùm pœnitentia ſeiunxerit, ita longè iniquitatem facit; ut cùm gladius ſocio crimine dirigatur in hominem, inveniat peccatorem innocentem: igitur pœnitentia cordis erratum abſcondit, quaſi nunquam criminoſus habuiſſet.

Geneſ. 6. 7.

Ita abſcondit, quaſi nunquàm peccator habuiſſet.

3 Clareat igitur zelus ſanctus in eorum malitioſam pervicaciam, qui eſſe ſub ſentibus delicias putant. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita ut non ſint*: dicebat Pſalmographus. Senſum literalem expoſuimus *Tom.* 1. *Tautolog.* 5. in *Lit. Exp.* n. 27. Congruit huiuſmodi deprecatio cum propoſito ſententiæ divinæ ſupra relatæ: igitur ut ait Senec. lib. 1. de *Clement.* cap. 24. *Non minus Principi turpia ſunt multa ſupplicia, quàm medico multa funera.* Ergo deficiant peccatores à terra. Hoc enim debet eſſe propoſitum iudicis, in malefactorum ſententia capitis. *In vindicandis* (iniurijs) *hæc tria lex ſecuta eſt, quæ Princeps quoque ſequi debet: aut ut eum quem punit emendet; aut ut pœna eius cæteros meliores reddat; aut ut ſublatis malis, ſecuriores cæteri vivant.* Hactenùs idem ibid. cap. 22. Hic profectò modus eſt Principi, ac regiminis decus. Textui igitur Sacro: *Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita ut ſint.* Perpende. Eſſe poſſunt, & deficere? Impoſsibile prorsùm. Non impoſsibile. Aliud ſumus per peccatum lapſi, aliud per naturam conditi: aliud quod fecimus, aliud quod facti ſumus. Vide Greg. Magn. *Homil.* 32. in *Evang.* Unde homines per peccatum lapſi, eſſe poſſunt, & deficere: quippequàm ſi deficiunt à trito itinere pravitatis; iam non ipſi, qui fuerunt peccatores: quandoquidem virtute pœnitentiæ, qui fuerunt lapſi, ſunt idem aliud per naturam conditi.

Pſal. 103. 35.

Principem dedecent multa ſupplicia.

Senec.

Quodnam in illo ſuppliciorum propoſitum?

Per pœnitentiam non ipſi, qui fuerunt peccatores.

4 Favet lectio plurimorum. *Deficiant, donec non ipſi.* Et ipſi viventes? Sanè. *Non in eſſentia, ſed in erroris culpa*: ait Gregorius ubi ſupr. Nodus implexus. Si deficiunt ab impietatis culpa, & non ab eſſentia; erunt ipſi, ſed non ita. Quomodò ergo ipſi non ipſi, gaudentes ipſi naturæ conſtitutione? Per induſtriam artificem pœnitentiam, cuius ingenio qualitas refunditur in ſubſtantiam: ſubſtantia mutata, mutatur ipſa natura: cum naturæ mutatione, quid mirum, quòd non ſint ipſi? Gradatim enim pœnitudo aſcendit, ut tranſgreſſores immutet. Quicquid ſubtrahit culpæ, addit eſſentiæ: ſtudetque immutationi, ut & ita deficiant, donec non ipſi.

Gregor. Magn.

Quo ingenio?

5 Deinde. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita ut non ſint peccatores.* Senſus hic clarus: cæterùm, quod non ſint ipſi, ipſi qui modò peccatores fuerunt? Utique: fuerunt, & non fuerunt peccatores. Negat pœnitentia non ſolùm factum, ſed etiam in protectione ſubiectum. Perperàm invenietur peccatum, unde refugit veſtigium: & nec veſtigium erit, cùm Deus pœnitentiam ſuſcipit; quia totum, quod erraverunt, non apparet. Iuxta allegata, & probata fit iudicium de perſona reorum. Quos accuſat malitia, protegit propoſitò pœnitentia: iurèque proponit infecta, quæ in iudicio nec allegata, nec probata, nec viſa: imò inſiſtit, donec probet converſione, quòd qui fuerunt, iam non ipſi.

Negat & culpam, & perſonam.

6 Demùm. *Deficiant, donec non ipſi.* Haud aptè diceretur Sauli: *Mutaberis in virum alterum*, ſi pœnitentia non mutaret virum. Vel Hiſpanicè dicimus: *Es otro. Yà eſtà otro.* Haud *Nova creatura* homo diceretur *in Chriſto*, ſi non eſſet ipſe & alter homo. Minimè, *Vertè impios, & non erunt*; ſi eſſent ipſi pœnitentia, qui fuerunt impij. Parum næ prævaleret pœnitentiæ auſpicatricis auxilium promptum, ni homo pœnitudine poſſet *abnegare ſemetipſum.* Multis paſſeribus antiſtare nos, Dominus pronunciavit: *Si non & Phœnicibus, nihil magnum*: iurè Tertulianus exclamat, de *Reſurrect. carn.* cap. 13. Micat pœnitentiæ efficacitas, & conſonæ comparationis proprietas: igitur homo ubi iam nemo, iterùm pœnitudine ipſe: & qui non iam, alius idem. Mirabilia cognoſcuntur in tenebris; ubi ita tenebras deles criminis, pœnitentiæ metamorphoſis.

1. Reg. 10. 6.

2. Cor. 5. 17.

Prov. 12. 7.

Matth. 16. 14.

Tertul.

Pœnitens alius idem.

Vi-

Iſa. 26. 19.

Vivent mortui tui, ò pœnitentia! Nunquid mortuis facies mirabilia? Faciet, etenim diſponit tenebras in lucem; & prava in recta: quandoquidem delendo crimen, transformat in virum alterum, peccatorem.

7 Feliciter memoria recolit peccatricem inſignem, verùm pœnitentem inſigniorem. Haud deſes amor: qui excitaverat in peccatis dormientem; pro dilectionis eximiæ teſſera, exhibuit vigilem. Unde *Veſpere ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre* (Chriſti) *ſepulchrum*; ubi cor eius vivum iacebat mortuum. Diſcordantiam præiactæ, obviæ luminibus clauſulæ, ita interpretatur *Serm.* 74. acumen Chryſologi. *Ipſa ſed altera; altera ſed ipſa: ſub uno nomine venerunt duæ, myſterio, non caſu.* Aptè *Venerunt duæ*; ſi altera, venit Maria Magdalene. *Quaſi duæ res ſunt homo, & peccator. Quod audis, homo, Deus fecit: quod audis, peccator, ipſe homo fecit*: infit Auguſtinus *Tract.* 12. in *Ioann.* Unde patet ipſa, & alia. Cæterùm, quomodò alia, ſi ipſa Maria? Minimè abrenunciata Magdalenes ſubſtantia, ſed culpa: culpaque non immutat naturam, ut faciat alteram. Cur igitur, dum pro pectoris debita demonſtratione, ac ſplendore deſideriorum flagrantium, cor volavit in phœnicis, corporis Chriſti ſepulchrum, eſtò culpà renunciatà, dicitur *Ipſa, ſed altera; altera, ſed ipſa*? Quia immutavit pœnitentia. Obijcitur tranſgreſſori crimen, ut iudici, & vindici reddat commiſsi rationem. In iudicio non apparet, de quo cor dolet. Unde Magdalene dicitur ipſa & altera, altera ſed ipſa, in huiuſmodi litiſpendentia; quoniam ubi ad tribunal crimen ipſam introduxit peccatricem; cordis dolor, & lachrymæ alteram exhibuerunt pœnitentem.

Matth. 28. 1.

Chryſol.

Auguſt.

Ubi intereſt pœnitentia, evaneſcit culpa.

8 Prætereà. Qualitas refunditur in ſubſtantiam in utroque ſtatu peccati & gratiæ, ut latè hic dixi in *Expoſit. Liter.* à n. 16. Hinc de Prodigo dicitur: *In ſe reverſus*, quoniam alter erat, cùm erat extra ſe. Ita etiam *Maneat unuſquiſque apud ſemetipſum*: q. d. tropologicè, non ſit alter per peccatum. Peccaverat Magdalene, verùm lachrymis fervidis obiecta iudici. Extra ſe crimine fuit, plorans reverſa eſt ad ſe: & cùm iam eſſet in gratia, protegente pœnitentia, dicitur *altera & ipſa*; quia tunc propriè erat ipſa, cùm eſſet altera.

Luc. 15. 17.
Exod. 16. 29.

Imò perſona.

Cauſam exprimam. Cuncta malefacta luenda, ubi gladium in reum ſtringit divina iuſtitia. Ipſum & non alium plectere intendit, cùm in iudicium peccatorem inducit. Pœnitet tranſgreſſoris vulnere conſcientiæ pectus, lachrymis retractat opus: ac ubi ruit infligendus ictus, ſuſpenditur gladius; quippe ingenio pœnitentiæ invenit alterum, ipſum quem vindex cogitabat reum. Iam Magdalena laverat lachrymis maculam criminis: iam nec remanſerat veſtigium ſceleris: & meditanter dicitur ab Evangeliſta, *Maria Magdalene, & altera*; ſiquidem ubi reſipiſcens cor abominatur culpam, pœnitentia non ſolùm culpam inficiatur, ſed perſonam; quippe eſt alia, quæ peccavit, & altera, quæ pœnituit. In ſubſtantiam devolvitur conditionis qualitas, ac mirè pœnitentiæ prævalet ſtudioſitas: igitur in huiuſmodi cauſa, omnia litis acta infecta; quoniam dum criminator accuſabat peccatricem, vel ipſe in Dei iudicio mirabatur innocentem.

Pœnitent quomodò innocenti.

9 Denique. *Venit Maria & altera; myſterio, non caſu.* Cæterùm quodnam inibi myſterium? Pœnitentiæ mirabile patrocinium, quod quidem à S. Legiſlatore Benedicto ita prolatum: in converſionem morum intendit, quia patientia Dei Monachos in pœnitentiam adducit, & *Prolog. Regul. S.* ait: *Quod minus habet in nobis natura poſſibile, rogemus Dominum, ut gratiæ ſuæ iubeat nobis adiutorium miniſtrari.* Scilicèt, per pœnitentiam, ut dixerat. Non eſt in natura poſſibile, quòd homo ſit ipſe, & alter: quòd ſit ipſe, & non ſit ipſe: quòd ſit in ſe, & extra ſe: quod ſit ipſe, & ita ſit. Virtus profectò ſpecioſa, ſuperans impoſſibilia! Unde cùm Magdalena venit ad ſepulchrum ſub pœnitentiæ tutela, proponitur ipſa & altera non caſu, ſed per myſterium; ut poſſibile clareret impoſſibile prodigium: quippe per gratiæ adiutorium, quod negaverat natura, obtinebat pœnitentia; commutans mirificè in alium, tranſgredientem omnem legem, eundem ipſum, quem feſtivè ſuſceperat lachrymantem.

S. Bened.

Vincit impoſſibilia Pœnitentia.

10 *Vivo ego*, (ita legunt Greg. Magn. & Chryſoſtomus) *iam non ego*, dicebat converſus Doctor Gentium, ut peccatores revocaret à catena delictorum. Qua lege *non ego*, & *ego*? Non ipſe? Dicat igitur: Vivo non talis, qualis fui, perſequens Eccleſiam: ſed *non ego*, *ego*, quod denotat ſignatè perſonam? Ita. Perſecutor fuit, ſed doluit: afflixit Chriſticolas, ſed pœnituit: tædebat delictorum ex toto corde: dicitque verè, quòd eſt ipſe & non eſt ipſe; quoniam naturæ propriæ transformavit conditionem, illicò ut pœnitentia vidit à malo reſipiſcentem. Saulus ſanè non eſt Paulus, nec econtrà. Eritne diverſi eiuſdem ipſa natura? *Ego non ego.* Proculdubio. Quid novum? Pœnitentia illuſtri abnegavit ſeipſum. Mira huiuſmodi virtus conſtruit, & talia qualia nec dignatus cogitavit. Quod minus habet in nobis natura poſſibile, nanciſcitur arte: & ut videatur eiuſdem hominis in ſeipſum poſſibilis transformatio; dicit Paulus apertè: *Ego non ego.*

Galat. 2. 20.

Quo tota hominis immutatur natura.

11 Quaſi cervus validè ictus ſagittà potentis, cucurrit Magdalene ad fontes ſitibunda Salvatoris. Acceſsit, & ploravit. Iudex vel offenſus nec verbum in illam loquitur. Quid cor docile, ſi humanum frangitur, dum aggreſſor ſtillis crimen fatetur? Diſcant Superiores ſtudere lenitati, ubi reſipiſcunt aberrantes ſubditi: igitur dum fatentur confuſione peccatum; ut magis confundantur, nec ullum verbum. Intuebatur Phariſæus fœminæ errorem, & non reducem (ubi Chriſtus contemplabatur obſequiosè pœnitentem) & dixit intra ſe: *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum.* Nota ly *Quæ & qualis.* *Quæ* denotabat ſubſtantiam. *Qualis* culpam: & Phariſæus non diſcernens inter hominem & delinquentem; *Quam* iudicabat iuxta qualitatem. Unde ablata qualitate; quæ fuit peccatrix, non erat illa *Quæ*. Perpenderis in advocato eiſdem terminis confutationem, & iuxta Phariſæi ſententiam, peccatricem innocentem. *Vides* (dixit) *hanc mulierem*? In *Mulierem* ſignatur *Quæ*; in *Hanc* indicatur *Qualis*. Modò diſcuſſeris. Ad quid igitur, ſi non alia, dicit *Hanc*? Hæc mulier quæ peccatrix, poteſt eſſe non peccatrix; cæterùm non alia mulier. Sanè: attamen cùm abneget ſemetipſam præſtantiſsima virtute pœnitentiæ; advocatus in cauſa dicit meditanter *Hanc*, quia *quæ* fuerat peccatrix, non eſt hæc.

Suſcipiatur benignè ſupplex peccator.

Luc. 7. 39.

V. 44.
Quanta pœnitentiæ virtus!

12 Propter huiuſmodi metamorphoſim dixit ubi ſupr. Chryſologus: *Sub uno nomine venerunt duæ.* Duæ? Iuxta qualitatis diſtinctionem, variarunt ſtatus ſubſtantiam omninò incommunicabilem. Duæ utique venerunt ſub uno nomine: ſiquidem alia hæc mulier ſcandali pœnitens; & altera, quæ fuerat in civitate peccatrix. Vide quæ diximus *Tom.* 1. *Tautolog.* 4. *Didaſc.* 6. à n. 13. Innuit etiam Chriſtus, Phariſæum alloquens: *Vides hanc mulierem*? Dubium eſt. Nonne videbat, de qua talia cogitabat? Non videbat. *Vides quidem corporaliter, ſed myſterium non vides*: infit Interlinealis. Quod oculis patet, fugit. Myſterium in hac, quam vides, te omninò latet. Quodnam ergo myſterium? Pœnitentiæ in transformatione reſipientis ſtudium: igitur depoſito errore, libera voluntate, ac mentis revocatione, illuſtrata pœnitentià, hæc quam videbat coràm, non erat illa. Myſterium etiam non vidit Profanus, dum cecinit lib. 2. in *Eutrop.* v. 8.

Chryſol

Ibid.

Interlin

Peccatum & peccatorem inficiatur.

Quid lachrymæ delicta levant?

Claud.

Quid levant? Ultrà miracula pœnitentiæ pateant, ut qui non vident miracula, videant.

Ad eum, qui attulit veritatem ut doctor, manſuetudinem ut liberator, iuſtitiam ut cognitor; propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam, *adducunt Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam*: quæ quidem plorans largè coram iudice, ut notat Novarinus hic, diſſecabatur corde, & confuſione criminis, & ſtimulis pudoris. Fugerunt igitur accuſatores fœminæ, ubi Chriſtus ſententiam *ſcripſit in aere.* Ita aliqui apud Maldonatum hic n. 13. O quàm ſuavis, vel dum iudex! Sententia quæ in aëre ſcribitur, tantùm & ſimul ubi ſcribitur, cognoſcitur. Vix equidem apparet, quùm evaneſcit. Nec ſignum remanet, quo cognoſcatur delictum: Chriſtuſque ſcribit, ut ius dicat in peccatum; ſed ſcribit in aëre: etenim vel dum cedit iuſtitiæ, conſulit famæ.

Ioan. 8. 3.

Maldon.

Iudex dum ſtudet iuſtitiæ, conſulat famæ.

13 Fugerunt ergo accuſatores fœminæ. At quinam accuſatores? *Crimina propria*: autumat hìc Novarinus n. 1464. Crimina? Quid? Eius ne fugerunt crimina, quæ modò in adulterio deprehenſa? Fugerunt, ſimulac oculi compreſsione cordis amariſsimà plorarunt: igitur evanuit accuſatricis præſentia culpæ, ubi interfuit pœnitentiæ. *Ubi ſunt qui te accuſabant*? Non ſunt. Allegatione eloquenti lachrymarum, teſtibus oculis, evacuavit teſtificationem ſceleris: & evacuavit ita, adhuc ſcriptà ſententià; ut nec criminis commiſsi veſtigium, nec leve ſententiæ appareret inſtrumentum. Scelera quæ erant, accuſabant: ſed quæ accuſabant, pœnitentià iam non erant.

Novar.
Evaneſcit præſentia culpæ, dum intereſt pœnitentiæ.
Ibid. v. 10.

14 Percurramus alia. *Nemo te condemnavit? Nemo*, adultera reſpondit. Erit ne auſteritas erga fœminam in animo pio, quam condemnavit nemo? Qui teſtes noxæ, non fuerunt teſtes ſententiæ, quippequàm non eſt iudicis ſententia, ubi deficit cauſa: & nemo condemnat, etiam illam, quàm accuſſat; quoniam evanuerunt acta cauſæ, pœnitentiæ articuli introductione. Nemo te condemnavit in huiuſmodi diſtricto iudicio: *Nec ego te condemnabo.* Nemo, quia defecit accuſationis materia: nec ego, quoniam ſcrutor renes & corda. Nemo, quia pœnitudo eſt criminis evacuatio: nec ego, quia ita cognoſco. Iudex factus ſum in cauſa, ut proferretur iuxta allegata, & probata lapidationis ſententia: ſed te teſtes de crimine turpiter

Ibid.
Illâ, nunquam fuerunt teſtes ſententiæ, qui fuerunt noxæ.
V. 11.

ter accuſarunt, & crimen non probaverunt. Te condemnavit nemo : nec ego te condemnabo. Vides quid lachrymæ delicta levant, ubi fugerunt qui certatim accuſabant. Signa per contritionem, & pœnitentiam rimati ſunt innocentis, dum fugientes illos pœnituit accuſationis.

Lachrymæ delicta levant, & lavant.

15 Cæterùm. Iuxta mentem Auguſtini *Tract.* 33. in Ioann. Princeps N. cœleſtis veritate, mãſuetudine, ac iuſtitiâ inſignitus, his maximè dotibus commendatus, *Cùm loqueretur, veritas agnoſcebatur : cùm adversùs inimicos non moveretur, manſuetudo laudabatur : cùm ergo de duobus iſtis inimici torquerentur ; in tertio, ideſt, iuſtitiâ ſcandalum poſuerunt.* Ideo acceſſerunt *tentates* ; verùm ſcandalum, ſcandalum ipſis. Perſcrutemur enim accuſationem, & legem. Dixerunt ergo : *Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes mandavit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis* ? Non dicit, quod dixit Moyſes ? Non : ſed cur ? Quia dixerunt *Hæc mulier* : & quæ fuerat in adulterio deprehenſa, non erat hæc. Hæc non ? Quæ? Alia. Dum pœnitentia interfuit, non erat ipſa.

August. — *y. 6.* — *V. 4. & 5.*

16 Ulteriùs. In lege de adultera, mandavit Moyſes huiuſmodi lapidare ; verùm præſens articulus non eſt huiuſmodi. Eſt ſententia, ubi ineſt cauſa : & non datur de adulterio iudicium, ubi non eſt adulterium : quapropter haud loquitur ius in huiuſmodi cauſa; quia hæc mulier non eſt illa, quæ fuit deprehenſa : igitur per ſubitam pœnitentiam, in iudicio evacuavit omninò noxam. Quod in iuſtitia Chriſto parabatur ſcandalum, ſtemma fuit iuſtitiæ glorioſiſsimum: quandoquidem iuſtitiæ inſigne, corripere errantem, & protegere innocentem. Iuſtitia, & gratia, de quo latè *Didaſc.* ſeq. litem diremerunt, in confuſionem accuſantium Scribarum. Gratia, elargiens pœnitentiam. Iuſtitia, iudicans cauſam : igitur poſt pœnitentiam, iuſtitiæ fuit, ſignare criminis prorsùs expertem; quam viderat lachrymantem, per gratiam liberatricem.

Cur non gratia, ſed iuſtitia, pœnitentis innocentia?

17 Explicet etiam fabula, quæ vera miramur in pœnitentia. Mycilus quidam capitis reus factus, quippe deſerere patriam, crimen capitis, adductus eſt in conſpectum iudicum, ubi crimen patuit ſine teſte probatum. Ploravit, ora, manuſque ad cœlos extendit. Quid? Dicit Vates eleganter lib. 15. *Metam.* Fab. 1.

Miraculum pœnitentiæ. — Ovid.

Mos erat antiquus niveis, atriſque lapillis
His damnare reos, illis abſolvere à culpa.
Tunc quoq; ſic lata eſt sẽtẽtia triſtis & omnis
Calculus immitem demittitur ater in urnam.
Quæ ſimul effudit numerando verſa lapillos;
Omnibus è nigro color eſt mutatus in album.

Haud aliter accidit in adulteræ cauſa. Accuſatores, qui iudices, in urnam demiſerunt ſuffragia nigra. Acceſsit tunc pœnitentia, qua cor attritum lachrymas, & ſuſpiria miſit in cœlum. Lex præſcribit adulteram lapidari. Quid cogitandum modò de huiuſmodi lege, ſi mulier modò deprehenſa? Dicant ſuffragia, vertatur urna. Sed quid? Nemo adulteram damnat, etiam modò in patratione deprehenſam? Nemo, & iurè: igitur quæ iudices in pœnam capitis, in urnam miſerunt nigra ; artificio pœnitentiæ facta ſunt alba ſuffragia. Mulier, te vel iratus condemnavit nemo. *Nec ego te condemnabo.* Iuſtum erit de abſolutione iudicium, cùm comprobrent innocentiam etiam ſuffragia accuſantium. Ingreſſa eſt adultera in iudicium nigra, & egreſſa eſt ſpecioſè formoſa. Hæccine pœnitentiæ miracula. Num reſpuetur, qua evaneſcunt crimina?

Si pœnitentia intereſt vel qui accuſat, non condemnat.

18 *De mandatis tuis non erravi* : dixit audacter David. Huic difficili periodo conſonat Eccleſiaſtici ſententia cap. 49. 5. dicentis: *Præter David, & Ezechiam, & Ioſiam, omnes peccatum commiſerunt.* Audenter propoſui dixiſſe, cùm Paulus aſſerat criminis non eſſe conſcium, nec ideo iuſtificatum : maximè ubi ipſe ibidem illicò infit: *Erravi ſicut ovis quæ perijt.* Quomodò intelligendum *Erravi, non erravi* ? Nonne crimen in crimine, & error involvitur in errore ? Aliquando illuſtri reſipiſcentiâ erroris, magis commendatur reſipientis animus; unde illud vel Profani:

Pſal. 118. 110. — Ib. v. 176.

Si non erraſſet fecerat ille minus. Martial.

Sed quòd culpa non ſit culpa, quòd error, error non ſit ? Utique : cùm pœnitentia factum eſt nihil, profectò quod factum eſt: meritòque pœnitens Propheta, commiſſo crimine, dicit *Erravi*: etiam, *Non erravi*; quia dum Deus Davidicam pœnitentiam ſuſcepit, idipſum quod erraverat, abſcondit.

Nec eſt crimen in crimine.

19 *O Pœnitentia, quæ contritum ſanas hominem, triſtem exhilaras, vitam de interitu revocas, ſtatum reſtauras, honorem renovas ! O Pœnitentia ! Quid de te novi referam ? Omnia ligata tu ſolvis, omnia ſoluta tu reſeras, omnia adverſa tu mitigas, omnia contrita tu ſanas, omnia confuſa tu lucidas.* Hactenùs Chryſoſtomus Serm. de *Pœnitent.* Omnia ſanè : etenim cuius comes pœnitudo, totus immutatur homo. Hinc de quodam adoleſcente, qui nimium ſtudebat amaſsiæ, & pluſquàm ipſam, aquas ſitiebat Lethei; ut arceret fomitem ignis, memoriam,

Pœnitentiæ prodigia. Chryſoſt.

riam, dicitur profectum in regionem longinquam. Ibi potitus eſt voto, abſentiæ patrocinio : ac regreſſus in patriam cum oblivione memoriæ, occurrit casù dilectæ. Illa mirata non eſſe interpellatam, cùm putaret non recognitam ; ſubridens illi dixit : *Ego ſum.* At ille ſaxò : *Verùm ego non ſum ego.* Vid. Ambroſium lib. 2. de *Pœnitent.* Ita igitur pœnitentia naturam emendat, & contrita ſanat : ſiquidem ſi ex homine fit brutus fœditate criminis, pœnitentiæ venuſtate ex bruto fit rationalis: dicente iudice, pœnitentiæ interventione : *Ipſum eſt animal, quod vidi.* Deus utique deformitatem abſcondit, dum pœnitentiam ſuſcepit : contritione etenim reſtituta eſt imagini pulchra ſimilitudo, & apparuit, qui ſceleribus non erat homo.

Ambroſ. — Ezech. 10. 20.

DIDASCALIA VIII.

Iuſtitia tunc iura videt, cùm lumina claudit.

1 ERycius Puteanus Orat. in *Virgin. Purgat*, prudentiſsimè exclamat. Hinc illud tritum de Senatu Thebano, ut licet videri apud Plutarch. de *Iſide, & Oſiride*, Stobæum *Serm.* 44. Andr. Alciatum *Orat.* in laud. iur. civilis:

Eryc. Putean. *Symbolum recti tribunalis.* — Alciat.

Effigies manibus truncæ ante altaria Divum
Hinc reſident, quarum lumine capta prior.
Signa poteſtatis ſummæ, ſanctique ſenatus
Thebanis fuerant iſta reperta viris.
Cæcus at eſt Princeps, quòd ſolis auribus abſque
Affectu, conſtans iuſſa ſenatus agit.

Hinc etiam Iuſtitiæ imago oculato corde apud Achillem Bocch. Symb. 108. cum lemmate: *Amica bonis, atque inimica malis.* Eadem vjdeſis apud Octavium Strada *Tom.* 2. *Symbol.* Ex his diverſis imaginibus conſtat veritas ſententiæ Didaſcaliæ : quandoquidem cùm lex in pectore ſit; ubi Princeps dicit ius, habens oculos in corde, figit tantummodò in lege. Cæcus eſt, & plane vigil. Ni lumine orbus, reſpiceret in cauſis ius & cuius: non poteſt cuius reſpicere, quando reſpicit cæcus. Prudenter iudicat in ſenaculo cauſam, ubi nequit reſpicere perſonam : cæcuſque exponitur palàm ; quippequàm tunc ratio iura videt, cùm oculos claudit. Oculos habet in corde, non habens oculos; ut iuſtè intueatur inter bonos & malos : iuſtè igitur iudicabit, qui iudicandos non videt : haud alium habebit cognitis cauſis, incognitis reis, iuris dicundi intuitum; præter decreta

Iuſtitiæ. — Achil. Bocch. — *Iudex iuſtitiæ conſulit, ubi perſonam non reſpicit.*

præſcriptarum legum : oculoſque quos ſubtrahit fronti, in pectore collocat aptè ; quaſi avertere non poſſet faciem à lege.

Non avertat faciem à lege.

2 *Erue à framea Deus animam meam*: dicebat iudex mortuorum & vivorum, in normam exactiſsimam iudicum. Haud refugit, poſtquàm mortuus, vulneris impingendi dolorem ; ſed vulnere, hominis audaciſsimum crimen. Oculos habebat in corde (unde lex gratiæ & ſacramenta legis novæ) qui iudex pendebat cæcus in cruce. Unde dixerat : *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Qui ſenſibilis, eximia dilectione, ullum non reſpuit tormentum; & vel cadaver renuit inſenſibilem ictum : etenim dolor, & ſummus dolor in pectore iudicis, quòd ibi locus, ut rumperentur leges. Leges ibi, & dolor ibi etiam in crucifixo cadavere. Minime querela ex dolore, ſed dolor ex fracta lege : ſiquidem magis ac magis ſenſibile vulnus legis, dum eſt in pectore iudicis. Cuſtodienda eſt ergo lex, ita ut ibi nequeat pervenire vis. Unus militum lanceà latus iudicis aperuit, & illicò impulſus non cadaver, ſed animam pertranſivit. Animam ? Utique: lex erat in medio cordis, quò pervenit lancea militis : & in iudice integerrimo, non ſolùm vulnerari, ſed vel poſſe, intactam, virginem legem præſcriptam ; ſi ibi anima eſſet, perveniret uſque ad animam.

Pſalm. 21. 21. — Pſalm. 39. 9. — *Senſibilius vulnus legis, dum eſt in pectore iudicis.*

3 Ergo propoſito Didaſcaliæ. Lex in corde iudicis eſt, & iuſtitia Principis oculos habet in corde. Cor nonne ſedes amoris, ubi thronus voluntatis ? Profectò ſedes : & ubi lex in corde, oculi ibi ; quoniam Princeps ubi conſulit iuſtitiæ cauſæ ; magis amicus legis, quàm amici. *Neque ulla ex parte maiora animi indicia cunctis animalibus, ſed homini maximè, ideſt, moderationis, clementiæ, miſericordiæ, odij, amoris, triſtitiæ, lætitiæ. Profectò in oculis animus inhabitat.* Ita Plinius lib. 11. cap. 37. Oculus omninò habitaculum favoris, quippe voluntatis indices ſunt, ſine idiomate eloquentes: accedit cauſa amici iudicio, ubi iudicanda non amicitia, ſed cauſa. Si iudex viderit coniunctiſsimi faciem, ad faciem amici contrahit violentiſsimè legem : & oculi iudicis non collocantur in fronte, ſed in pectore, ubi in medio cordis lex ; quia licèt in pectore amicus meritò ſit, dum agitur cauſa, & intervenit iuſtitia ; favere minimè debet iuri amicitiæ, ſed tantummodò iuri. In corde hærent & amicus, & legis animus. Obſequendum utrique, ſed opportunè obſequendum ; ita ut amico gratia, & legi cedat iuſtitia : quapropter oculi deſcendentes à facie, inhærent ſapientiſsimè cordi ; quia prævale-

Oculorum animi index. — Plin. — *Non faveat iudex legi amicitiæ, ſed legi.*

re non debet in pectore iudicis lex amicitiæ, ſed amicitia familiarior legis.

Iuſtum & tenacem propoſiti virum,
Non civium ardor prava iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Horat. *Mente quatit ſolida.*
Nec fulminantis magna Iovis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Canit Horatius lib. 3. *Carm.* od. 3. verſ. 1. igitur ut ait Cicero *Officior.* lib. 3. *Perſonam amici exuit, qui iudicis induit*; ut accepter iuſtitiam, & non perſonam. Hinc in Areopago, à Phrynes libertate, nudo iudicibus pectore, ſpecie palàm, quia capitis periculum coram (de quo conſulas Quinctilianum lib. 2. cap. 15.) omninò ſanctum, ut capita velarentur iudicandorum. Ideo ubi noſtra Vulgata: *Nulla erit diſtantia perſonarum.* Deuteron. 1. 17. Hebr. *Non agnoſcetis facies in iudicio*: igitur nonnunquam cum fractione legum, iudices facies peccatorum ſumunt: ingenioſèque vigilantior in iuſtitia cæcus pingitur Princeps, quoniam cæcus nequit reſpicere facies.

Perſonā amici exuit qui iudicis induit.

Cicer.

Phryne quomodò liberata a periculo capitis?

4 Iam enim malitia hominum manſuetudinem Dei provocaverat ad nauſeam, & iuſtitia decrevit extirpare malitiam. Unde protervo homine, eſtò tactus dolore cordis intrinſicè, Deus propter perfrictam frontem, & perfractam legem; *Delebo inquit hominem.* Hominem? Profectò. Etiam Noëmum? Nullo modo. In tempore iracundiæ erit reconciliatio. Vidit pluſquàm hominem in hominibus, igitur vidit iuſtum tantùm ex omnibus gentibus: & cùm exiret decretum, excipit iuſtum; quia in tribunali iuſtitiæ nulla acceptio intereſt perſonarum, ſed duntaxàt meritorum. *Delebo hominem.* Et quem habes in corde? Nihil intereſt. Etiam eſt lex: & inter hominem & legem, delebo hominem: quippequàm potior in pectore iudicis amicitia legis, quàm lex amicitiæ libertatis hominis. *Delebo hominem.* Delebo. Quid? Nunquid iuſtus, quem reſervas, & ſalvas, non eſt homo? Non delebo. Quomodò delebis, & non delebis? Quia merita reſpicio, ſed non facies.

Gen. 6. 7.

Iudex ſit acceptor meritorum, non perſonarum.

Iacob. Bil.

Iuſtitiæ merces gemina eſt, vel cùm bona rectis,
Vel pravis dignè cùm mala reſtituit.

Et delebo hominem, & non delebo, ubi cauſarum hominum ſit diſtrictio; quoniam iuſtitia in pectore integerrimi iudicis; amica bonis & inimica malis.

5 Celebre axioma Medicorum eſt: *Quibus in mammas ſanguis colligitur, furorem ſignificat.* Ita Hippocrates lib. 5. *Aphoriſm.* 40. Petr. Andr. Canonherius hic *Volumin.* 1. de Principibus & Conſiliarijs intelligit; huiuſmodi furoris cauſam vocans *Aulicam amentiam.* Origo morbi ſanguis eſt: & ubi colligitur in pectore, fit furor in capite; ſiquidem in ferendo iure cauſarum, haud iudicantis, ſed furentis eſt indicium, quòd propter familiaritatem ſanguinis cordis, peſſundetur ſuffragijs edictum legis. Eritne rectum ſenatus conſulti ſuffragium, ubi deficit in iudicando iudicium? Perpera omninò atque deteſtabilis ſententia, qua ferenda in iuſtitia, vertigine capitis, affectione pectoris, inſpecta cauſa, iudex non iudicat, ſed delirat: quandoquidem ſanguis redundans non ſignat rationis libertatem, ſed formidandum furorem. Quid iudicij redolebit in furioſo? Erit num conſilium ſine conſilio? Quid mentis in amente? Quid legis ſine ratione? Amentia eſt aulica, ſed amentia: etenim in iudice, ut ad amuſsim legum cadat ſuffragium, affectionis non erit ullum veſtigium.

Hipoc.

Canonher.

Indicat furorem iudicis, affectus cordis.

6 Surrexit glorioſè, qui expiraverat in cruce, ut qui in ſæculo amplectuntur libitò crucem, expectent glorioſam futuram reſurrectionem. Stetit ergo in medio diſcipulorum, conferens cordibus mœſtis ſingulare ſolatium; dixitque illis: *Nolite timere::: videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum.* Ioannes addit, cap. 20. 20. quòd etiam oſtendit vulnus lateris, inflictum lancea dirisſimi militis; ut ſcirent peccatores oſtium in pectore patulum, nunquàm & nuſquàm pœnitentiæ claudendum. Refert modò ſcire, cur ſi ſervat iſthæc ſigna vulnerum, vel vulnera, tanquàm pignora glorioſæ, ac pretioſæ redemptionis, delet penitùs, reſurgens vulnera capitis, illata crudeliter à ſpinis? Corona non erit capiti, quod in cruce coronans coronavit tribulatione? Si veſtigia vulnerum eſt gloria cæteris membris, evaneſcit gloria capitis? Evaneſcit profectò, quia non eſt gloria. Surrexit iudex mortuorum & vivorum, nacto titulo ex perpeſsione vulnerum: & dum in reliquis membris remanent vulnera, expungit à capite etiam vulnerum ſigna; quoniam ſuſpicioſa Principis in regimine vel prudentis gubernatio, cuius caput compunctum manet in throno. Vivax Hiſpana dialectus. *No puede governar bien, una cabeza picada de la paſſion.*

Luc. 24. 36. 39.

Ad pœnitentiam ſemper patulum oſtium.

Caput iudicis vulneratum, ſuſpicioſū.

7 Omnia membra paſſa ſunt ſpecialem cruciatum, pro redemptione, ac lythro voluntariæ captivitatis hominum; quæ illuſtravit reſurgens ſtigmatibus, quaſi trophæo; verùm ſine vulnere caput. Vulnera capitis eſſent

eſſent veſtigia punctionis: & qui reſurgit in tribunal iudex, removet facta à ſpinarum ſtimulis; quippe ut iudicium ſit in regimine rectum, punctionis in capite à ſentibus nec veſtigium. Haud ſpinas punctus iudex contrivit, ſed etiam cum indicibus evulſit. Prudentiſsimè quidem: igitur acriùs hæret in capite offenſa, dum confringitur ſpina. Semper pungit, ſi non expellitur. Quæ in capite, à pectore cuſtoditur, in quo ſanguis putreſcit, & oritur furor ex vaporibus, quos mittit. Quæ timenda in conſtitutione corporis, potiùs ſuſpicanda in affectione iudicis: ſiquidem ſi laborat vomica pectoris, & vertigine capitis; in lata veſtita lege ſententia, patent quæ latent venenata viſcera.

In illo nec punctionis, ſit veſtigium.

Pſal. 31. 4.

8 Huiuſmodi ſolœciſmi eſt ratio prompta. In capite natura collocat intellectum: intellectus verò format in cauſis iudicium: & caput manet, eſtò punctum ſine paſsionis veſtigio, dum Princeps ſedet in throno; quia ut iudicium cauſæ formetur, ac fundetur in iure, habetur nihili ſummus intellectus ſtimulatus paſsione. Altius propoſitum. Caput*, quia rationis index, in corpore humano, inſignitur nobiliori & præſtantiſsimo loco. Chriſtus uti Princeps pacis, a capite diducit ſigna paſsionis & non à cæteris membris. Iſta vulnerum veſtigia indicabant iudicis offenſam, quæ quidem iure poſtulabat vindictam. In manibus, pedibus, lattereque innoteſcit petitus, homo privus, ſeu particularis homo. In capite, uti iudex, diſtributor munerum, ſeu pœnarum ex officio: & removet promptè Princeps à capite, vulnera illata, quanvis iniuſtè, in paſsione; ſiquidem malè audit vindicta iniuriarum peculiarum, qui uti caput, eſt elavatus ad thronum. Etiam indigeo vernaculà phraſi. *No es razon, que de injurias privadas tome venganza, no mas que por ſer cabeza.* Sed de hoc *Tautolog. 4. Didaſc. 1 2. 3.*

Perperam iudicat intellectus, affectione ſtimulatus.

Haud ulciſcatur in tribunali offenſam privatæ iniuriæ.

9 Deinde. In capite etiam reſidet memoria, quæ multoties nocua regimini, ex punctione crebra offenſæ. Secum Sapientia Patris eduxit è ſepulchro ſublimiorem doctrinam; ut erudirentur, quos principes conſtituebat ſuper omnem terram. Caput inimicus pupugit, & cicatrices punctionis reſurgens in gloriam, delet. Patiens ſervat, ſuſtinens ſanguine indicat: at ubi caput in medio diſcipulorum, etiam iudicum, reſidet, omninò capitis cicatrices expungit: igitur ubi intenditur in regimine prudentia; privarum iniuriarum nec momoria.

Sed cedat oblivioni.

Ita fecit, qui ita docuit. Surrexit, duobus diſcipulis expectantibus apparuit; *Quibus ille dixit. Quæ?* referentibus, quæ paſſus fuerat Ieſus. Antequàm aſcenderet in civitatem, retulit cunctis diſcipulis ludibria, iniurias, paſsionem. Ecce (ait) aſcendimus *Ieroſolymam, & filius hominis tradetur Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Matth. 20. 19. Procedit, ſciens quæ ſuper ſe ventura erant, atque exponit palàm; & modò inquirit à diſcipulis, quæ ſint; cùm didicerit ex his, quæ paſſus eſt? Eſt ne memoria caſſa? Altè hæſit pœna. Obliviſcitur? Utique. Iuxta conditionem ſtatus utitur & non utitur memoriâ, ut ita rutilet in iudicibus prudentia. Quaſi unus è multis paſſus eſt crucem: ſed quia paſſus, etiam omnium Princeps conſtitutus. Primum, extra portam in calvario Ieruſalem: ſecundum, ſuper Sion: atque modò ſepelitur memoria, de quibus nullo modo poterat eſſe ignorantia; quoniam ſi privato licet, iniuriarum recordari, Principi porrò dedecus, vel reminiſci. Multa pertulit, quæ niſi ab amore, importabilia; cum quibus reſurgente etiam evanuit memoria. Unde cognoſcens, quòd ita ſint, narrantibus dixit, *Quæ*: quippe quæ ut homo, aut civis ſuſtinuit, ut iudex in throno neſcit.

Ibid. v. 18.

Non debet eſſe in Principe nec memoria iniuriæ illatæ.

Quæ privatus cognoſcit, ut iudex neſcit.

10 Hinc liquet cauſa, cur dùm ipſe vulnera diſcipulis decrevit manifeſtare; dixit: *Nolite timere.* Ad quid? Timor ex obſequio? Ex demonſtratione ſingulari formido? Timetur, qui oſtendit pectus, ubi amoris dulciſsimum vulnus? Timetur ita Princeps & iurè, ne laboret in latere pectoris affectione. Ibi iniuriæ tanquàm ſpinæ recrudeſcunt, & quouſque vindicentur, ingemiſcunt: Chriſtuſque in tali demonſtratione, dixit: *Nolite timere*; quia plerunque pleriqué fungentes officio capitis, oſtendunt, ne ingemiſcant, vulnera pectoris.

Ibid. v. 36.

Perperam in officio capitis, oſtenditur vulnus cordis.

11 Ulterius. *Nolite*, inquit, *timere, quia* licèt undique punctus, *Ego ipſe ſum.* Novitas patet in viſione, quòd, qui iam glorificatur, ſit ipſe. Mutatio ſæpeſæpiùs in hominibus transfiguratis eſt elevationis umbra: Ieſus Chriſtus heri & hodie; ipſe & in ſæcula. Attamen nota cauſalem. *Nolite timere, quia ego ipſe.* Contraria potiùs cogitanda in huiuſmodi ſententia; quandoquidem quia ipſe erat, qui tot cruciamina paſſus; iam iudex, erat proculdubio timendus: & Chriſtus timorem à diſcipulis excutit, ex immutatione, quæ crebrò timorem incutit; igitur ni ipſemet eſſet, oſtenderet caput punctum, dum ipſis exponebat pectus apertum. In mundo timetur iudex læſus, quoniam ſi voluntas pungitur, ſimul ratio ad iudicium vulneratur: & Chriſtus iubet, ne timeant, ubi ipſe vulnus pectoris demonſtrat; quippe in

Ibid. 38.

Inſtar ... li, quòd homo in throno ſit ipſe.

Ubi iudicis voluntas pungitur, intellectus punctione voluntatis non pungatur.

in iudice ut iudicet rectè, pungi poteſt ſphæra voluntatis, verùm non aula rationis. Ergo propoſito. In pectore notatur amor, & etiam odium: in capite micat legum, & cauſæ iudicium: & licèt palàm ſit vulnus in voluntate iudicis, nec veſtigium in capite manet punctionis: etenim in iudicio nec amicitia valet, neque inimicitia; ſed ſolummodò cauſa, quæ dirimenda ex iure præſcripto legum, nequaquàm ex facie iudicandorum.

Ioan. 8. 4. V. 6.

12 Coram iudice ſupremo, ut dirimeret cauſam, adduxerunt legiſperiti mulierem in adulterio deprehenſam; dixeruntque: *Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio*: crimini iuxta legem reſpondet lapidatiò; quid tibi videtur? *Ieſus autem*, auditis & lege & causà, *Inclinans ſe deorsùm digito ſcribebat in terra*. Ante iudicium, notatur quòd iudex inclinavit ſe deorsùm. Nihil in operatione Præſidis prætermittitur à ſubditis; cùm vigilanter ac curiosè obſerventur etiam inclinationes. Scripſit *Quaſi aliud agens*, ut notat Maldonatus hic num. 14. Aptè vel aliud agens, ſcribit; & quia literæ delicium iudicis, & quia nulla ſententia à iuſtitia ſine actis. *Inclinavit ſe*. Patuit in corpore figura virgæ iuſtitiæ: igitur ſi contra legem ſit gratia; haud recta erit ſententia, virgâ iuſtitiæ inclinatione curvà. Imago iuſtitiæ delicatula omninò, vulneratur privilegio. *Extendit virgam*, dicitur de rege, ubi à lege fecit immunem Eſther. Admirabilis næ vox. Rectitudinem ſanè amiſit, dum rex extendit: quandoquidem non cohærent in throno, & virgæ inclinatio, & iuſtitiæ rectitudo. Inclinavit ſe, *Ne crimen cerneret, quod puniret*: aſtruit *Serm.* 115. Chryſologus. Arguitur zelus iudicum imprudentiâ, dum ſæpe punitioni quæritur cauſa: & oculos avertens, quaſi aliud agens ſcribebat in terra; ut iudex quæ videt, benignè parcat; & non viſa prætermittat. *Inclinavit ſe, & ſcribebat in terra*, in medio prolatâ fœminæ causâ. Si reſpiceret fœminam, reſpiceret etiam crimen: inclinans ſe, cogitabat fœminæ fragilitatem. Quod ſubſcribebat iuſtitiâ, delebat miſericordiâ: & inter fragilitatem & culpam, iudex reſpicit terram; quia potiùs trahitur in remiſsionem à pietate pectoris, quàm in ſupplicium à gravitate criminis.

In iudicio etiam notatur iudicis inclinatio.

Maldon.

In quo iuſtitiæ rectitudo?

Eſth. 5. 2.

Malè coëunt iuſtitia & gratia.

Chryſol.

Favet Chriſtus, etiam offenſus.

13 Satis digreſsionis, ut primario inſtituto reſpondeamus. Cauſa incipit: *Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio*: lex clamat. Quid fiet de huiuſmodi fœmina? *Inclinans ſe deorsùm*, profert integerrimum adæquatè iudicium, & qui habendus in tribunali, ſententiæ modus. *Hæc mulier* commiſsit crimen: ac meditanter iudex avertit faciem; ut cùm diceret ius, non cognoſceret, *An hæc*? Lex ergo ad iudicium expoſita, atque fœmina rea. Lex non *Quem* reſpicit, ſed *Quid*: aliàs ad arbitrium voluntatis eſſet lex. Iuxta præſcripta legis, iudicandum de qualitate criminis: & dum proponitur *Hæc mulier* adultera, digito ſcribebat in terra; quoniam iudicium haud reſpiciebat fœminam, ſed legem latam. Si ius diceret in fœminæ delictum, vultu haud intendens in aliud; in legis cauſa, iudicaretur non delictum, ſed perſona: utrumque in iudicio proponitur, & quod obeſt iudicij rectitudini expellitur: ſiquidem in terra ſcribit, dum poſtulati meminit; ne iuxta perſonam iudicaretur crimen, ſed perſona iuxta legem. Contrario intuitu (ni fallor) cauſam Scribæ propoſuerunt huius mulieris: ideo dicitur, quòd propoſuerunt arte iudicem *Tentantes*: igitur verè tentatio, dum de hac proferendum ius; cognoſcere, cùm ignorare deberet propter legem, quænam hæc?

Ubi ſupr.

In iudicio non reſpicienda perſona, ſed tantum culpa.

Verſ. 6.

14 *Hæc mulier*. Causâ accuſatores cadent. De adulterio appellant in iudicio tantùm mulierem? O accuſatio plena dolò! O accuſatores & iudices ſine iudicio! *Vos non attenditis merita cauſarum, ſed perſonarum: non iura, ſed munera: non quid ratio dictet, ſed quid voluntas affectet: non quid ſentiat, ſed quid mens cupiat: non quid liceat, ſed quid libeat: in pauperibus rigorem oſtenditis, & in divitibus ex manſuetudine diſpenſatis*. Hactenus Innocentius III. de *Vilit. condit. hum.* Non ſecùs accuſatores fœminæ, in huiuſmodi criminis accuſatione. Quid Moyſes mandavit in lege? Huiuſmodi lapidari. Omninò falſum: aliter enim legitur teſtimonium. *Morte moriantur & mœchus & adultera*. Levit. 20. 10. Liquet igitur textus allegati falſitas; dum pro auctoritate complicis truncatur authoritas: ſiquidem Moyſes haud poterat ferre legem, qua

Innoc. III.

Iudices improbi ſi rimantur commodum, truncant contentum.

Facto pius & ſceleratus eodem.

Ovid.

15 Mœchus etiam cum adultera privetur vitâ. Cur ergo ſi lex ita, ſola mulier accuſatur? An quia ſola? O miſera conditio legum, ubi fulgent tantùm vela affectionum! Fallor. O miſera rationis captivitas, quæ nec leges ſacras ab affectione reſervas? Ex duobus implicatis crimine, peior erit cauſa fœminæ? Minimè criminator profert in lege, quod ſentit, ſed quod contra legem cupit; quando mente iudicis, ac interpretatione voluntatis, alter in lege indulgentiæ invenit manſuetudinem, & alter etiam fragilior rigoris acerbitatem. Adulter quia exhibuit munus, eorum evaſit cum induſtria manus. *Muneribus eos placavit, muneribus tenuit, ne teneretur ab eis*: ait Carthuſianus hic. Non intendebant legibus expellere crimina, ſed ex criminoſis accipere munera: & dimittunt liberè divitem virum, obijcientes mulieris adulterium; quia duntaxàt intelligunt, ac interpretantur leges, præut micant utilitates.

Torquent leges.

Carthuſ.

Et retorquent ad legem utilitatis.

Novarin.

16 Aliter, ſed congruè cogitat Novarinus hic num. 1445. *Vir*, ait, *favore obtinuit, ne in iudicium adduceretur*. Ita teritur in tribunali iuſtitia, & fit perſonarum & non criminum cauſa: interpoſitione potentium ſubminiſtratur criminoſo auſpicium, deſpecta lege ob reverentiam gratiarum. Mulier quæ invitata ad crimen nullum habebat ex potentibus auſpicem, nec connexionum blandimen. In hac obſervabatur iure procacitas, verùm in viro recolebatur auctoritas: & ubi ambitiò gratiæ iudicat crimen, ita propitium invenit criminatorem; ut dum conſcij ſceleris ſit iudicium, alterius complicis cauſæ non inveniatur vel verbum. Erit recta iuſticia, ubi in cauſa complicis, non eſt complicis cauſa? Non reſpiciunt, quid ratio dictet; ſed quid voluntas affectet: non merita criminum, ſed ſolummodò conditionem perſonarum: igitur proſternent totius iuris ſacras leges, ſi rimantur à longe porentium interventiones.

Potentis interventione, deficient à toto iure.

17 Hoc iudicium Scribarum & Phariſæorum. Non reum iudicabant propter delictum, ſed delictum propter reum. Non auctoritatem legis, ſed legem auctoritatis. Non iuſtitiam, ſed perſonam: quam Chriſtus ut non videret, *inclinans ſe, digito ſcribebat in terra*. Si inſigne iuſtitiæ rectitudo; qua lege in iudice erit perfectio, pectoris inclinatio? Ut erudiret in ſententiæ articulo iudices, qui fœminæ accuſatores. Quia deſolatam ſine ullius patrocinio viderunt, iudici ſubdolè offerunt; quod quidem non feciſſent, ſi autumarent vel patrocinium, vel commodum; uti fecerunt in viro, de quo nec fuit accuſatio. Faciem viderunt miſerabilis fœminæ; & quia miſerabilis, faciem etiam viderunt iuſtitiæ: iudexque Chriſtus criminis faciem à fœmina avertit, atque in terram oculos ſtudiosè dimittit; quoniam cenſor cauſæ iura perſpicuiùs videt, cùm lumina claudit: etenim non vidit faciem accuſatæ mulieris, ſed faciem iuris.

Ib. v. 6.

Non diſcernunt in cauſa, niſi quod volunt.

18 Aliud, quantum auguror, latet myſterium. Iuſtitia proſpexit de cœlo, in huiuſmodi accuſationis articulo. Verùm quomodò? Univerſum ius cum legis præſcriptionibus, habebant ipſi ſub pedibus: & dum Chriſtus iudex fuit, veritas namque de terra tunc orta eſt: igitur ut faceret iudicium ad amuſsim legum, ſine nocua acceptione perſonarum; oculos ſuos ſtatuit declinare in terram, ubi iudices pravi collocaverant iuſtitiam. Hinc erectâ ſecum iuſtitiâ, qui inclinaverat ſe ſic, ut de actis diceret ius; in triumphum legis latæ *erexit ſe*: ſiquidem ſublimitas oritur perfecti iudicis, ex erectione proculcatæ legis. *Erexit ſe*. Faciem oſtendit Ieſus, cùm erigeretur lex: igitur iudex peſſundato iure, nequit ſine rubore vultum oſtendere.

Legem pedibus terunt.

V. 7.

Et minimè verecundantur.

19 Iam igitur, cùm ſe erexiſſet, iudicium dixerat; ſed *iterum ſe inclinans ſcribebat in terra*. Vincentius Ferrerius Serm. de *Adult.* inquirit: *Quid ſignificant hæ duæ inclinationes*? Diverſæ ſententiæ, arbitror, coruſcat nota. Ideoque iterùm ſcribebat in terra. Contrariæ ſententiæ ſtylus, in iudice qui ſemper diphthongus? Clareſcit modò intelligentia difficilis auctoritatis S. P. Benedicti. Ita enim cap. 2. *S. Regulæ*, de Præſide dicit: *Non præponatur ingenuus ex ſervitio convertenti. Quod ſi ita iuſtitiâ dictante Abbati viſum fuerit, de cuiuslibet ordine id faciat. Ergo æqualis ſit.* Idem ergo articulus palam ſit in adulteræ ſententia. Quomodò hæc diverſa in ipſamet cauſa? Quo pacto vita conceditur morituræ, iuſtitia dictante, ſi ius illi adverſatur ex lege? Quomodò iuſtitia æqualis, ſibi contraria in decretis? Quia dixit alibi: *Nolo mortem morientis*, ſcilicèt peccatoris; ſed quod crimina cognoſcat, & convertatur, & vivat. Iuſtitia dat unicuique ſecundùm opera ſua, videlicet ſecundùm cauſarum merita: & modò vindicat à pœna criminis, in quam decreverat capitis; quia in eadem cauſa inſunt diverſa merita, ubi diverſa ſunt acta. Quod coram oſtendebatur erat crimen, & accuſabant qui neſciebant contritionem. Ei qui ſcrutabatur corda, iam alia cauſa; quippe ab oculis referebantur pœnitudinis merita: & quam morti iuxta legem tradit, liberat iuxta legem à morte, etiam iuſtitia dictante; quoniam lex quæ condemnat obſtinatum, ſalvat omninò à perditione contritum. Iuxta legis decreta, eſt æqua, aut curva iuſtitia. Æqualis eſt, ubi non eſt æqualis; ſi intercedit in cauſa articulus diſtinctionis. In ſpeculo cauſarum nihil aliud repreſentat præter ſimulachra legum: & iuxta præſcripta iuris, erit ſanequàm æqualis, ubi ſententia correſpondet meritis.

V. 8.

Vinc. Ferr.

S. Bened.

Quomodo iuſtitia inæqualitate æqua?

Ezech. 18. 32.

Cauſæ meritis mutatis, pertinet ad iuſtitiam, mutare ſententiam.

20 Ergo clareat argumentum. Fugientibus, imò fugatis rabuliis, Scribis & Phariſæis; *Remanſit ſolus Ieſus, & mulier in medio*

Ib. v. 9.

Interlin.

dio ſtans. Appoſitè Interlinealis: *Remanſit miſeria, & miſericordia* Miſericordia, *Ieſus*: Miſeria, ubi dicitur, *Mulier*. Mulier cum crimine depoſcebat iuſtitiam: *Huiuſmodi lapidare.* Ieſus ſcribens invitabat ad gratiam: *Nec ego te condemnabo.* Iactus difficilis, ubi interſunt & leges iuris, & iura pietatis: ſed ſummus iudex, ut erudiantur qui iudicant terram; in ſententia gratam conciliavit & iuſtitiam. Culpa reſpiciebat iudicem: ac lachrymæ ſalvatorem. Si iudex damnabat, deficiebat à pietate: ſi ſalvator indulgebat, aberrabat a lege. Si impunè abibat, tota cauſa devolvebatur ad gratiam: ſi pœnas luebat, vergebat in diſtrictiorem iuſtitiam. Stabat cauſa inter ſaxum rigoris, & ſacrum benigniſſimæ pietatis: at ne quid nimis; iuxta legem primùm damnat, & poſtmodum etiam iuxta legem liberat: quippequam lege iuſtitiæ reſpiciebat adulteram, & lege gratiæ contuebatur adulteræ pœnitentiam, [illegible] liberè in pace, æqualitate iuſti iæ.

Ubi miſeria accedat miſericordia.

Quo pacto in eadem cauſa gratia & iuſtitia!

21 Aſtipulatur acumini diverſitas cogitandi apud Sacros Interpretes; ut ex inſtrumento ſcripturæ conſtet, quid ſignificent geminatæ inclinationes. Evangeliſta dicit, quòd *Ieſus inclinans ſe ſcribebat in terra.* Dubitat Auguſtinus hìc, & alij plures, quoniam templi pavimentum lapidibus undique ſtratum. Imò Carthuſianus ubi ſupr. aſſerit, quòd *materia lapidea ſcribenti* Chriſto *ceſſit*. Ex quo patet durities cordis humani: igitur ſaxum indocile cedit, & cor fragile, carneum vel poteſtati reſiſtit. Ergo ſententiam iudex ſubſcripſit in lapide. Quomodò ſi in terra ſcripſit? Scribebat ſecundum merita cauſæ, vel læſus in marmore, vel miſericors in pulvere; ut intenderet in gratiam & in iuſtitiam. Iuſtitiam, ni reſipiſceret; & gratiam, ſi pœniteret. In lapide characteres haud facilè deformantur: in pulvere, aquâ, imò vento delentur: & ut ſuaviter & fortiter ſententiam in adulteram diſponeret, ſine diſpendio gratiæ, atque etiam auctoritatis iuſtitiæ: ſcripſit in pulvere, ut deleret lachrymis, quod marmore ſcripſerat in abſentia pœnitudinis.

V. 6. & 8.

Auguſt.

Carthuſ.

Quanta durities cordis humani!

Deus revocat ſententiam, ubi bene pœnitudine revocat culpam.

22 Denique. Iuſtus & miſericors minimè à pœna eripuit, ſed ſententiâ libertatis commutavit; igitur quam paſſura à populo carnifice, ferebat corde, in diro eculeo conſcientiæ. Vidit reæ in genis commiſſi pudorem, defixum in humum lumen, ſolam plorantem, vehementer ingemiſcentem: vid. Nonum hìc *Paraphraſ. in Evang.* Ioan. Ita ſalvando dimiſit impunem? Lachrymæ exprimunt tuſi pectoris dolorem: unde meditata cauſa, iudice pio conferente iura (quia ex collatione legum manat liquidè in tribunali iudicium) fertur libertatis ſententia; quoniam ſi lege prima ius fuit, damnare nocentem; ſecundâ lege, liberare inſontem. Liberare, ut conſtaret, quòd iuſtitia erat actus rationis, & nequaquàm voluntatis, ad arbitrium iudicis. Liberare, commutando pœnam, ne relinqueret gratiâ faſtiditam iuſtitiam; & ſalva viveret iuxta legem in pace, proculcatis libidine, & occaſione, memor periculi; quandoquidem ut ait Claudianus lib. 2. in *Eutrop.* v. 50.

Pro pœna criminis tranſgreſſori datur tortura conſcientia.

——— Omne futurum
Deſpicitur, ſuadentque brevem præſentia fructum,
Et ruit in vetitum damni ſecura libido.

Claudian.

DIDASCALIA IX.

Quàm cæcus ineſt vitijs amor!

1 IN propudium ambitionis cecinit Claudianus ubi dudùm. Heu, quales ſeſe diffundit in actus diſſimulata, ſeu ſimulata quies! Patet in pectore. Quanta fuga quietis & ſomni! Hoc eſt negotium quod perambulat in tenebris mentis, & vigilantia cordis. Ambitio ſubtile malum, virus ſecretum, latitans peſtis, artifex fraudis, mater hypocriſis, tinea virtutis, lepra ſanctitatis, radix livoris, vitiorum origo, religionis ærugo, criminum fomes, vulnerum parens, fovens morbos ex remedijs, ac deſperationem ex præſtantia medicaminis. Ideo Stephanus Forcatulos in *Cupidine Iuriſperito*, Amorem oculatum expreſſit, faſcia, vitta, filamineque nudavit: quippe apertis oculis tunc minus ille videt. Ad quid tanta moles? Ut ſe poſſe putent? Dixit Senaca in *Hercul. Ottæo* Act. 2. v. 637.

Claudian.

Quanta in ambitione mala!

Forcat.

——— Calcet ut omnes
Perdatque aliquos, nullumque levet.
Tantùm ut noceat, cupit eſſe potens.

Senec.

Nec tibi regnandi veniat tan dira cupido; ubi ineſt vitijs tam cæcus amor.

2 Quantum inſit, ex propoſito, & contuitu ambitionis exponendum, ut ambitioſi reſipiſcant ex perſiſtentia laborum. Sunt igitur animi, qui habent laborem in quiete, qui laſſantur nimis ſine labore; quos extra ſe nonnunquàm habent inanes cogitationes, trahentes & retrahentes, revertentes & euntes; minimè contemplantes quid ratio dictet, ſed quid voluntas affectet, qua propoſitum defendunt pro aris & focis, nihil indignum vel in indignitate reputantes; indulgentes criminibus, parcentes legibus,

Ingenium ambitionis.

arte, doloque, non iure, ſed iuris ſpecie, Machiabellica politice; modò omnia conſpirent in ambitum, & ambitus dirigatur ad thronum: ubi meritum celſitudinis, &

——— Laus maxima, riſum
Per varios moviſſe ſales.

Claud.

Dicit ubi ſupr. Claudian. v. 335. ſed aptiùs Bernardus lib. 3. de *Conſiderat. ad Eugen.* cap. 1. & de *Converſione ad Clericos* cap. 22. *O ambitio ambientium crux! Quomodò omnes torquens, omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nil moleſtius inquietat: ſed propter ambitionem paratos eos videas, univerſa pericula ſubire, ſuſcitare ſcandala, ſuſtinere odia, diſſimulare opprobria, negligere maledicta, ubi non minus pernicioſa animoſitas, quam puſilanimitas.* Videris etiam ſuper Pſalm. *Qui Habitat.* Serm. 6. & lib. 4. de *Conſ.* cap. 4.

Ambitio ambitioſi crux.

Bernar.

3 Aſtruit Bernardi cogitationem S. Pater Benedictus *Regul. Sanct.* cap. 64. ubi in electione Præſulis notat: *Prohibeant pravorum prævalere conſenſum: ſcientes pro hoc ſe recepturos mercedem bonam, ſi illud caſtè, & zelo Dei faciant.* Ad quid ergo zelus Dei ſubditur cum caſtitate intentionis, ubi præſupponitur obſtaculum electioni pravitatis? Quia ſæpe ſi deturpatur intentio, titulo zeli Dei electio nocuior; igitur extra zelus, ſed intuitus electionis magis pravus. Ille ſuffragatur impio, ut liberiùs degat; & ille refragatur, ut ſibi conſulat: quandoquidem & pereunt ſui, & nequit eſſe ſucceſſor dignitatis, ſi pravo favent ſuffragia prava electionis. Unde quærentes zelum Dei in reſiſtentia & animum caſtum, inveniunt magis ambitione corruptum. O curas hominum! Invehitur in ambitionem ambitio, & utraque fraudatur ab optato deſiderio: etenim eligens florente ſpe intimiorem familiarem; poſt, ſuſpenditur, quia conſtituit inimicum & ultorem. Cecinit etiam Profanus de Eutropio ubi ſupr. v. 558.

S. Bened.

Titulo zeli Dei tegitur, & protegitur.

——Poſtquàm pulſiſque bonis, & fæce retenta
Peiores legit ſocios, dignoſque ſodales,
Regnandique palam flagravit aperta libido;

Claud.

Ruit, & ab ipſis, quos honoribus fecit inſignes, pulſus eſt extra limen honoris, & intra thronum averſæ infelicitatis. Quàm cæcus ineſt vitijs huiuſmodi amor, imò amentia! Propter ſuos, etiam obliviſcitur ſua. Cogitavit in ſolium è pulvere erectos, gratos; & invenit adverſos. Cogitavit in indignis electis firmiorem fidem, & offendit dignatorum elationem. Cogitavit politicà agendi ratione, quæ in fulcrum ſolij cognovit, & nihil nactum ex cunctis quæ cogitavit. Secum petulans amentia certat, in odium implacabile dilectione mutata. Quid aliud ex fæce retenta poterat evenire? Quid ex peiorum turpium turpiore electione? Ex tanta mole, cogitationum ruina nihil remanſit niſi pœnitentia.

Ruinam ſibi ſtruit

4 *Faciamus hominem, & præſit piſcibus maris, volatilibus cœli, & beſtijs.* Triplici dignitate honorandus, quem faciemus, homo primus: & *Formavit Deus hominem.* Mirum quòd eſſet homo, quem formavit è limo. Nunc verò pertæſus comminatur: *Delebo hominem, quem creavi. Pœnitet enim me feciſſe eos.* Quid Domine? Quia Rex profanus fecit ſtatuam auream, adoratione dedicavit, tantùm quia fecit: igitur haud cultu auctoris ſatisfacit pectus, niſi adoratio extendatur ad opus. Tantane te noſtri ceperunt tædia mundi? Operis non ineſt amor? Operis ingrati dolor. Nonne creaſti? Quia creavi, delebo. Præcogitavi opus hominem, & opere non eſt homo; quia ceſſit malè, quem erexi de pulvere. *Creavi*: ex indiſpoſito ſubiecto factus eſt homo, quem à terra delebo, quia pœnitet me feciſſe: & meditanter dicitur Auctor, *Tactus cordis* intimo *Dolore*; quoniam opus ex indiſpoſito ſubiecto, nonnumquàm cordis ſequitur pœnitudo. Indiſpoſitum ſubiectum eſt indignum: & indignè reſpondet Auctori, quia de nihilo creavi. Pœnitet me feciſſe: etenim quem cogitavi dignitate, ac muneribus amicum, expertus ſum mihi omninò & legibus adverſarium. Hæc in Deo pathetica, reapsè inter homines frequentiora.

Gen. 1. 26.

Cap. 2. 7.

Cap. 6. 7.

Verſ. 6.

Opus indigni culminis nunquã reſpondet expectationi auctoris.

5 *Non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum.* Cuncta brevi luſtranda, quippe maiora vocant. Conformantur homines decreto, ob fidei Catholicæ cultum, cæterùm in civilibus, eſtò ſacrilegium, ab aulicis plauſum; quoniam inter amicos haud habet gloriam, qui non habuerit in homine ficto vanitatis ſtatuam. Nunquàm erigendum idolum, cùm homo elevatur in dignitatis faſtigium: etenim non eſt poteſtatis abſolutiſſimæ gloria, quòd homine tantùm elevetur figura. *Non ſculptile*, quia cum capite etiam truncus ex trunco. Perpolitur, ut appareat homo; aptatur, dolatur, lævigatur, ut elevetur. Improbus utique labor: quandoquidem licèt clamet afflictus, non curvatur in miſeriam; ſed manet erectus, quia erigitur truncus.

Levit. 26. 1.

Ludrica electio, ubi hominis patet figura, & non homo.

6 *Idolum, vel ſculptile non facietis vobis.* Ad quid *Vobis*, ſi crimen eſt facere? Ne ſtupidè in idolo cogitarent maius crimen. Quàm cæcè ineſt vitijs amor! Erigere pro

Deo